BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
27 A
12

8. 2. F. A. 12
A
~~II o 74 f 2~~

Gerard [illegible] Martin

8
27-A
12

DIVINA QVATVOR ENERGVMENORVM LIBERATIO, FACTA APVD Sueſſiones, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo.

In qua ſacroſanctæ Euchariſtiæ vis & veritas planè elucet.

Eam ſcripſit Geruaſius Tornacenſis, Scholarchus, & Canonicus Sueſſionenſis, autoritate & iuſſu Reuerendiſſ. P. & D. CAROLI RVCYENSIS, Epiſcopi Sueſſionenſis.



PARISIIS,
Apud Guillelmum Chaudiere, via Iacobæa, ſub inſigni Temporis & Hominis ſylueſtris.
M. D. LXXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

8-27-A-12

ENERGVMENORVM NOMINA.

1.	{ Laurentius.	fol.6.
	{ Laurentius idem.	fol.36.
2.	Nicolea.	fol.43.
3.	Margarita.	fol 59.
4.	Nicolaus.	fol.88.

Appendix de Aſtarotho Dæmone fugitiuo, & de Laurentio per eum occupato.fol.99.

BEATISSIMO PATRI, ET SVMMO TOTIVS ECCLESIÆ Chriſtianæ & Catholicæ Pontifici & rectori, Papæ GREGORIO XIII. eius nominis, fœlicitatem & pacem in Chriſto, Carolus de Roucy humilis Epiſcopus Sueſſionenſis.

MITTO, Beatiſſime Pater, hanc earum rerum hiſtoriam, quæ hoc anno M.D.LXXXII. in noſtra diœceſi diuino permiſſu & arbitrio euenerunt, & quæ maximè ad fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam aſtruendam & confirmandam facere videntur. Nam cùm Pontificia Romana autoritas & amplitudo ſummo & altiſſimo Eccleſiæ Chriſtianæ loco ſita ſit, eius præter cæteros intereſt noſſe & perpendere, quæ ad omniũ Chriſtianorum veram & Apoſtolicam fidem ſpectant & geruntur. Quamobrem quidquid hîc tractatum & expoſitum eſt, ſub eadem autoritate & maieſtate nunc velim omninò

8-27-A-12

eſſe: Et mitto non ſolùm Latinam hanc hiſtoriam, quàm veram eſſe & fateor & atteſtor, ſed & Gallicam, quæ eodem genere argumenti ſcripta eſt. Quod vt faciam, primùm officij mei ratio ſuadet, qui non ignoro, quantum debeam ſummo totius Eccleſiæ Chriſtianæ capiti. Deinde res ipſa hortatur, iuſta nimirùm & digna, quæ non ſolùm huius ætatis hominibus probata & teſtata ſit, ſed etiam poſteritati. Eſt enim diuina planè hæc gratia & beneficentia, quæ tum noſtris manibus Chriſti fauore & ductu ſuſtentatis adminiſtrata eſt, tum noſtra præſentia promota, & ad eum perducta exitũ, qui ſolatium, leuamentum & incolumitatem miſerè afflictis hîc contentis attulit. Atque hæc quidem omnia Catholicæ etiam Eccleſiæ collata eſſe diuinitùs fateri debemus, cùm virtus & veritas ſacroſancti Chriſti corporis ſub panis & vini ſpecie palàm ibi declarata ſit. Multùm verò me ad hanc rem ſuſcipiendam mouit huius temporis miſeranda calamitas, in tanta eorum cæcitate, qui à recta Eccleſiæ Catholicæ via defecerunt: quorum cauſa, vti credo & ſperò, diuinæ bonitati & clementiæ placuit me ſibi ad eam rem miniſtrum deligere, quantumuis paruum, parùmque idoneum, & (quod ingenuè fateor) indignum. Cuius quidẽ

rei ſcopus eò tendit, vt deuij errantéſque his edocti & commoti, in viam ſalutis nunc reuocentur: & qui rectam inſiſtunt fidei & doctrinæ Catholicæ viam, eam non deſerant, ſed inuicto animo ad eam perpetuò ſectandam incitentur. Sed & hæc mihi imprimis admirabilis eſt Dei clementia, & incomprehenſibilis ſapientia, qui me talem, vt dixi, elegerit inter tot aliorum Eccleſiæ Præſulum millia, omni genere virtutum & meritorum antecedentiū: quorum optarim & doctrinam audire, & exempla conſectari in tam admirando cæleſtíque negotio. Itaque ſanctitatem Pontificatus altiſſimi nunc oro & obſecro, vt hoc perſuaſum habeat, me tantum ſuſcepiſſe negotium poſt ægrotantium preces varias, multorúmque frequentem adhortationem, & non pœnitendum Cleri ad hoc euocati conſilium. In quo, ſi quid non ſatis exactè ac diligenter, vti res ipſa poſcebat, factum & adminiſtratum eſt, humiliter & demiſſè ſupplico, tam meo nomine, quàm eorum omnium, qui operam ſuam in toto hoc negotio impenderunt, & aſtiterunt, vt eadem Pontificia ſumma Sanctitas & maieſtas ſuam gratiam & munificentiam ſpiritualem è theſauris Eccleſiæ deducat, & impertiat, vt eius rore & aſperſione cœleſti omnes refocille-

mur & recreemur: neque ſolùm nos ipſi refocillemur, ſed & ſemel hi omnes, qui hîc morbis iſtiuſmodi tentantur & affliguntur: Pro quibus dum hanc gratiam & benedictionem imploro, Deum quoque Max. & Opt. ex animo & ſyncerè precor, vt agat viuátque nobis quàm diutiſſimè ſana & valens, Chriſti munere, ſanctiſſima autoritas & ſumma maieſtas Pontificia beatiſſimi & ſanctiſſimi Dom. N. PP. GREGORII XIII. Sueſſione. 14. Cal. Octob.

CAROLVS Epiſcopus.

DIVINA QVATVOR ENERGVMENORVM LIBERATIO, facta apud Sueſſiones, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo.

In qua ſacroſancta Euchariſtiæ vis & veritas planè elucet.

PRÆFATIO.

GENVS hoc argumenti, in quo nũc tua autoritate verſor, Optime Antiſtes, ſpero probandum eſſe eo iudicio, quo ſolẽt omnia, quæ à vera patrum religione, & fide Catholica, Apoſtolica & Romana non deflectunt. Et quanquam ea dicendi in me facultas non eſt, quæ omnium votis ſit reſponſura, id tamen ſuſcipiò libens, religionis adductus ſtudio, & rei mihi notiſſimæ fiducia, cui gerẽdæ tractandæque ipſe interfui. In qua nunc celebranda dabo operam, quanta potero animi ſynceritate, vt nullam aliam conſecter gloriã quàm vnius veri Dei, eiúſque Euangelij, & Eccleſiaſticæ doctrinæ hîc illuſtratæ. Etenim omnes ad Chriſtum, & eius Eccleſiam ſimul venire optamus, nullos habentes pro deſpectis aut

repudiatis, quocunque in loco agant. Nullam igitur ex hoc noſtro ſcripto vlli omninò in nos concipiant inuidiam, nullámque, vt fit à nonnullis peruerſè & præpoſterè actis, ęmulationem, & obtrectandi occaſionem. Contrà autem potiùs, charitate mutua nos in tam diuino negotio inter nos proſequamur, reuocantes in animum quę maiorum vita & religio aliquando fuerit, & qui nunc huius ſæculi mores ſint, quámque vera tot ſanctorum & doctorum virorum ſcripta, cùm de Chriſto ipſo, cuius nomine & fide omnes nitimur, atque adeò gloriamur, tum de eius ſponſa Eccleſia, quæ diuino afflatu & fauore viget, ſapit & intelligit. Atque ad rem quam inſtituimus, nũc propiùs accędamus: quæ magna profectò & miranda eſt, neque humano perfecta ingenio, ſed cœleſti modò virtute & poteſtate. De quatuor Energumenis, quos miſerandum in modum hîc apud nos dæmones, nefarij & ſcelerati ſpiritus afflixerunt ac diſcruciarunt, ſcripturi ſumus: & de iiſdem, vi diuina eiectis & profligatis ex eorum corporibus: ac maximè quidem ſacroſanctæ Euchariſtiæ præſenti virtute, cùm nulla alia, vt ſic dicam, machina valentior apparuerit, quàm intentata in eos ſpiritus altaris ſacrata hoſtia. Quod equidẽ non dubitarim ingenuè fateri ita euenire, quò nos tandem vel ipſi doceant dæmones, pluris ſe eam facere, magíſque reuereri ac metuere, quàm hodie plærique Chriſtianorum faciant, qui neglecto promiſſo palàm Chriſto & Eccleſiæ à ſę

facto, nihil ſe religionis & fidei habere apertè demonſtrant. De qua re non agam pluribus hoc loco, quod occurret deinceps ſæpiùs opportunitas, & de ſacroſanctæ Euchariſtiæ vi, & de præſtigiis dolíſque dæmonum ampliùs tractãdi. Quamobrem ad inſtitutã hiſtoriam ſtylum conuertimus: cuius & auſpicium & autoritas in Deo ſolo eſt, qui hîc vnus omnem gloriam & laudem meretur & reportat.

Annus, quo hæc ſcribimus, eſt Ieſu Chriſti nati milleſimus quingenteſimus octogeſimus ſecundus. Quo anno ſummum in Eccleſia Catholica Pontificatum gerit Gregorius xiij. eius nominis, & Galliarum ac Poloniæ Rex eſt Henricus III. Chriſtianiſſimus. Eodémque anno, admiranda hæc apud Sueſſiones euenerunt, diuino, vt credere æquum eſt, arbitrio, ad multorum ſtabiliendam fidem, & ad proponẽdum incredulis apertum verúmque doctrinæ Eccleſiaſticæ exemplum. Itaque vt tanta res ſit notior, Chriſto duce, ſic ordimur. *Tempus huius hiſtoriæ.*

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Guillaume Chaudiere, Marchand Libraire iuré en l'vniuerſité de Paris, d'imprimer, vne ou pluſieurs fois vn liure intitulé, *Cinq Hiſtoires admirables, tant en Latin qu'en François, auſquelles miraculeuſement par la vertu & puiſſance du S. Sacrement de l'Autel a eſté chaſſé Beelzebub prince des diables, auec pluſieurs autres demons qui ſe diſoient eſtre ſes ſubiects hors des corps de quatre diuerſes perſonnes, le tout aduenu en ceſte preſente annee* M. D. LXXXII. *en la ville de Soiſſons, &c.* Et faict defenſes ſadicte Maieſté à tous Libraires, Imprimeurs, de ſon Royaume de quelque qualité qu'ils ſoyent, d'Imprimer, vendre ne diſtribuer autres, que ceux que aura fait Imprimer ledict Chaudiere, ſoubs ſa marque & nom, iuſques au temps & terme de ſept ans, entiers & conſecutifs. A compter du iour & date que ledict liure ſera paracheué d'imprimer: Sur peine de confiſcation desdicts liures, & comme plus amplement eſt declaré par autres peines contenues eſdictes lettres patentes de ſadicte Maieſté. Donné à Paris, ce quinzieſme iour de Septembre, Mil cinq cens quatre vingts & deux.

Par le Conſeil.

ſigné, BERNARD.

CAPVT PRIMVM.

FVIT, & hodie quoque eſt ado-
leſcentulus, ſanus & incolumis,
annos paulò plus quàm duode- *Ætas ener-*
cim natus, in vico ruſtico huius *gumeni.*
diœceſis Sueſſionenſis, cui Andi- *Locus.*
gnicurtum nomen eſt, ad decimum circiter ab
hac vrbe lapidem, haud procul ab Nouioduno.
Ei nomen eſt Laurentius Boiſſonnetus, cuius
pater Iacobus triennio antè vita functus: ma- *Parentes.*
ter Adriana, patre Matthæo vpilione genita, &
matre Rollina, qui etiamnum vno in coniugio
ad annum quinquageſimum vita integrè ho-
neſteque producta viuunt.

C A P. 2 *& 3. in Exemplari vernaculo.*

Is adoleſcentulus Laurentius, hoc anno ab
impuris dæmonibus vexatus fuit, & iam quin-
quennio antè, ferè aſſiduè obſidebatur, vt eius *Tempus*
mater de ea re interrogata, ingenuè confeſſa *obſeſſi Lau-*
eſt, & plærique eius cognatorum ſimiliter ſunt *rentii à dæ-*
confeſſi. Quo tempore, ſcelerato inſtigante *mone.*
ſpiritu, mira proteruitate & petulantia agebatur,
non ſolùm in notos & propinquos inſolens, *Petulantia*
ſed & in matrem, quem in ſe ad verbera infli- *Laurentii*
genda ſæpiùs laceſſebat: Ferebatur in obuium *inſtinctu*
quemque, & mendaciis totus incumbebat. Ac *dæmonis.*

ſi morigerum ſe & obſequentem aliquando oſtentarat, mutato illicò ingenio, ſumma contentione repugnabat. Hi ſcilicet eius erant mores, quem circumſiſtebat ſtimulabatque oppugnator callidus, qui cùm non poſſet, Deo vetante, introrſum inſinuari, in extimas ſe veſtimentorum eius partes recipiebat: & nunc in induſii, nunc in ſagi latebat fimbria. Atque

Dæmonis ludibria. hæc eius tum erant ludibria, quibus fallaciam paulatim contexebat. Maximæ autem & admirandæ nunc rerum vices in eo ſunt, cùm rebus diuino munere in melius conuerſis, nihil iſtorum omnium reliquum habeat, & totus planè in alium ſit mutatus.

Cap. 4.

Non deſinebat tamen id temporis oppugnator nefarius omnia quotidie moliri, ſerpens obſcurè, ac ſeipſum diſſimulans, & nouis ſubinde prouocans tentamentis. Nouas enim ſæpiùs aſciſcebat ſpecies, & multa ac varia ſui

Spectra obiecta Laurentio. ſpectra & phantaſmata ei obiiciebat. Cùm ſeptennis eſſet, ſæpenumerò eſt ipſi obuerſatus, & ea ſpecie obuerſatus, quæ puero iucunda videretur. Candidiſſimus apparebat Columbus,

Dæmō ſub ſpecie candidi Columbi. circumuolitans, & qui palàm ludibundus in fonte eius vici merſaretur: cúmque ſe captandum propè daret, tam leui momento ſuffugiebat, aciem fallens oculorum, vt nuſquam eſſet: & qui oculis conſectati eſſent intentiſſimis, quo ſe loco condidiſſet, cùm murum perfodiſſent, ac pertentaſſent omnia, nihil reperiebāt. Et hæc videlicet tanti impoſtoris fuere quædā

veluti crepundia, occultúmque faſcinum ad fraudem comparatum, quo ſolet incautos & ignaros ludificari.

CAP. 5.

Ab ea ſpecie in aliam tranſiit, initio Martij menſis eiuſdem anni M.D.LXXX. Inter cœnãdum, limen domus egrediebatur Laurentius, cui ſe mox obiecit ſpectrum miræ magnitudinis, hominem cornigerum referens, coloris candidi, qui ſaltu ſeptem aut octo pedum concitatiſſimo in eum irruit, caprinum planè ſonũ ore edens, cum terrifica vociferatione. Itaque Laurentius metu vehementi correptus, grauiter præ horrore exclamauit, domúmque fuga incredibili regreſſus, peſſulum oſtio obdidit. Immodico deinde tremore affectus, lecto decubuit. *Demum in ſpecie viri corniugeri.*

CAP. 6.

Poſtero die, morbi acceſſu recurrente, mater in dubio paroxyſmo remedium aliquod cœpit excogitare. Nota erat illic anicula, annos circiter quinquaginta agens, credita valetudinem nõnullis arte quadam reſtituiſſe. Ad eam illa adiit, vt filio ſuo conſuleret. Poſcebat anicula imprimis, vt laborantis & curandi ſibi periſcelis aut cingulum afferretur. Ter applicabat ad cubitum, admetiens periſcelidẽ & cingulum, antequàm morbi genus & nomen ederet. Poſtquàm igitur pro ſuo more ſolita ceremonia vſa eſt, admiſta precatione arcana, matri reſpondit, Diuæ Reſtitutæ vulgò nuncupatum morbum eſſe. Ad quam vocẽ mater illicò *Anicula ſuperſtitioſa ceremonia.*

Phleboto-mia non profuit Laurentio. ſe voto aſtrinxit:& octauo poſt die, itineri ad D.Reſtitutam ſe commiſit. Tãdem verò morbo non remittente, Laurentio ſecta vena eſt: qua tamen phlebotomià,nihilo melius habuit.

CAP. 7.

Decumbebat ſuo illo morbo affectus,Nonis Iunij menſis,& ecce illi rurſum adſtat nouum *Dæmon ſpecie muliebri.* ſpectri genus. Mulier amictu candido, patentioribus oculis intuens, & ad terrorem compoſitis. Mater igitur conſilij & propè mentis *Peregrinatio ad S. Florentiũ.* inops,iter ad D.Florentium arripit, opem nato,ſi quà poſſet,imploratura.Hoc materna ſuaſit pietas,& charitas in liberos:quæ tamẽ non obſtitit,quominus ille remearet impoſtor, & ſuos faceret ludos ſuo more.

CAP. 8.

Dæmon Corui ſpecie. Nam ſecundo pòſt die, Laurentio nouum in horto occurrit ſpectrum, Corui aduolantis ſpecie, & humanam affingentis vocem, dentémque ab eo poſcentis. Deinde, eo die, qui *Idem Paſſeris ſpecie.* Diuo Barnabæ eſt ſacer,Iunio menſe, Paſſeris quoque ſpecie apparuit, aciculam voce humana ab eodem petens,muto tamen ſemper ad eã *Iterũ Corui ſpecie.* omnia permanente Laurentio. Iterum Corui ſpecies ei viſa eſt,apud auum maternum agẽti, nunc cathedræ inſidens,nunc cremathræ, quæ foco impendebat,& humana rogans voce, an ſecum proficiſci vellet,quoniam ipſi,vt aiebat, eſſet habendus. Renuit tamen proficiſci Laurentius, & ſe habendum negauit: potiúſque dies ac noctes ait ſe in templo totum tempus tranſmiſſurum.

CAP. 9.

Neque multò poſt, Capræ ſpecies quædam, & non vox tantùm, ſe obtulit: poſteáque caballinum aut aſininum caput: eo ſcilicet die, quo mortuis à Chriſtianis ſolenni feſto parentatur. Et denuò vir quidam corniger: cuius horrido aſpectu pauefactus, ingentem ſuſtulit clamorē. Poſtremum verò ſpectrorum fuit, vir teterrimi coloris, fronte cornutus, & proficiſci adhortans. *Poſtremū hic ſpectrū viri ſpecie teterrimi.*

CAP. 10.

Mater rebus huiuſmodi diu perpenſis, & à probis viris cōmonefacta, quid conſilij ſequeretur, aduerſus hoſtem tam apertum & varium, ſe pœnitentiæ ſacramento, hoc eſt, remedio & myſterio Confeſſionis cum filio communiuit. Armis enim talibus robuſtior ſibi fore viſa eſt, & hoſtis futurus imbecillior. Ita ſiue iam fatigatus ille fuit, ſiue alia quæuis cauſa interuenit, inde abſceſſit: & menſes quatuordecim non oppugnauit Laurentium. Quo temporis ſpatio apud Dauidem patruum manſit, hominem ſua arte cannabem apparantem: vbi ad Septembrem egit menſem. Rediit tamen ſpectrum, & aquam è puteo haurienti apparuit, ſummo putei labro inſidens. Mulier ſplendenti & candida facie erat, cuius quidem recordatione poſt horæ ſpatium ægerrimè habuit, & propè exanimis concidit. Eáque valetudo improſpera ad quindecim dies torſit grauiſſimè, & cauſam patruo dedit eum ad matrem remittendi. *Confeſſionis vis & fructus.* *Diſceſſus dæmonis ad 14. mēſes.* *Redit demum ſpecie muliebri.*

CAP. 11.

Torquetur Laurentius

Deinde vi morbi tandem interquieſcente, ad patruũ reuerſus eſt, apud quem tres modò hebdomadas tranquillè egit. Sæuior enim hoſtis rediit ad oppugnandum: qui prehenſum eius brachium in tergum reflexit. Poſt, alio die ferè præceps in piſcinam incidit.

CAP. 12.

Et cùm biduum ſedato poſtea animo fuiſſet, dominico inſecuto proximè die, acerrima introrſum pugna eſt agitatus. Itaque ad matrem remiſſus eſt, circiter feſtum diem Dominicæ natiuitatis. Quo tempore non mediocriter eſt afflictatus: & iam ad ſacrum audiendum inuitus ab ipſa matre ducebatur, & plerunque pertrahebatur. Mens tum illi planè turbida eſſe viſa eſt, linguáque futilis & ridicula: quæ puſillum aliquid, vt germen herbaceum, vel aciculam, vel nonnunquam etiam pueriliter mammam poſcebat: & manum in ſinum maternum immittebat ipſe, rogitans, an huius eſſet nati mater, & ſe ad pectus matris proximè admouebat.

Dæmonis petitiones ridiculæ.

Sed quandoque ad ſummam conuerſus impudentiam, cùm ſceleratus ſpiritus, tum carnifex cruentiſſimus, maximas pollicens diuitias, audebat adeò ſe prodere impudenter, vt animam ſibi donari quæreret. Id enim à Dauide patruo Laurentij petiit. Petiit etiam corpus, cùm hac luce & vita functus eſset, nũmos aureos interea pollicitus. Atque hæc quidem ſunt venatoris & prædonis nefarij egregia & poſtulata & munera, quę ore famelico tragicè doloſéq; oſtentat.

CAP.

CAP. 13.

Inchoato nouo anno M D.LXXXII. auſa eſt Laurentij pridie Nonas Ianuarii menſis, Deo freta, poſt confeſſionem à ſe factam ſacerdoti, ſceleratum interpellare ſpiritum, rogaréque, cur natum ſuum adeò miſerè torqueret. Rogabat an ipſa cauſam dediſſet, vel an natus id peccando commeruiſſet, an verò parentum omninò vlla culpa eſſet, aut aui aut auiæ. Ille hos omnes iſta ſuſpicione liberauit: ſed nonnullũ eſſe eius auunculi crimẽ, quem & Antonium nominauit: neque ſe præterea eſt paſſus vrgeri, & tum rogari ampliùs. *Occupatus à dæmone Laurẽti' nulla eius culpa.*

CAP. 14.

Triduo tamen pòſt, auſa eſt rurſum mater interpellare, & cauſam ſciſcitari, cur hanc culpã in Antonium conieciſſet. Blaſphemam ille eius linguam eſſe dixit, & vt fraudulentus ſophiſta, qui ambages omnes nouit, quædam cæpit recen ſere de verucce ab eo furtim ſublato: atque id furti, non planè furtum, ſed commutationẽ eſſe, eúmque veruecem eſitatum in ea caupona, quam notam proferebat: & cauponem non multò antè vita ibidem exceſſiſſe. Ita locutuleius fabulator, ceu cornix garrula, ſua tunc reſponſa dabat: & alia quoque intermiſcebat de quodam nummulo argenteo, caſu in terrã lapſo, neque ab eo inuẽto, qui perquireret, cùm ipſe celerrimè correptum eum abſtuliſſet. *Veruex furto ſublatus.* *Nummulus argenteus, vulgò liartus.*

CAP. 15.

Plærunque etiam ſibi mirè placebat, prædicendo quæ paulo pòſt futura erant. Biduo

Laurenti⁹ predicit a unnculum venturum. enim pòſt, Laurentii auunculum in diem craſtinum venturum dixit, ſéque magno eum perculſurum metu.

CAP. 16.

Eodem die, Matthæum Petrum Sueſſionē iturum dixit, gladio ſuo accinctum: ſimúlque Parochum valentiore inſtructum gladio, quo vitam clerici appetiuerit, & cuius quidem facinoris ſe commemorabat impulſorem. *Dæmon homicidij autor.* Denique & matrem dicebat plurimùm laboraſſe in corroganda pecunia, quam patruo daret Sueſſionem profecturo, vt de morbo ſuo conſilium caperet: addens etiam quantum illa pecuniæ numeraſſet. Hæc ille explorator garrulus, cuius nunquam conquieſcet ingenium.

CAP. 17.

Neque verò de ſe fateri apertiùs recuſauit, rogatus à Dauide patruo Laurentii, cùm in eodem eſſet cubili, quiſnam ſpiritus diceretur. Se enim famoſum illum eſſe & dici reſpõdit, qui in omnium ore verſaretur, Viridi amictu veſtitum: *Dæmõ viridi amictu veſtitus.* Nobilitatum enim iam ſe tam latè ſparſo rumore apud Nouiodunos, quorum fines viáſque adCompendium vſque totos quatuordecim menſes occuparit ac circumſederit. Fuerat videlicet palabundus erro toto eo tempore, cùm interim Laurentius induciis potiretur, quieſcente oppugnatione. His addebat & ſe mendicum fuiſſe, & cùm ſtipem rogaret apud eius vicinum, duriùs eſſe increpitum ab eius vxore, quem militem à cohorte aberrantem crederet mendicare: Nummulum tamen ſe accepiſſe. *Dæmon mendicus.*

CAP. 18.

Neque hîc finem narrandi faciens, perſonatus nimirùm, & loquax hiſtrio, hæc inſuper commemorabat: Summo ſe mane rus profectum, veniſſe in ædes Domini Sapponiaci, viri nobilis, & ad focum aſſediſſe (Ædes illæ ſitæ ſunt in vico ruſtico, Cus appellato:) denique & comiter ſalutatum & exceptum ab eodem, quem ſuum eſſe aſſerebat. *De Sapponiaco Domino.*

CAP. 19.

Sed & hoc addebat impudens, flagris ſe multatum à quopiam, pauculo numerato ad eam rem pretio: eúmque qui multaſſet, tertiò poſt menſe aquis ſubuerſum & extinctum. Neque his cõtentus, aliam quoque narrabat profectionem, qua veniſſet ad Dominum Canniacum, quo cum tres horas eſſet collocutus, & tandem ad prandium inuitatus. Egiſſe tamen gratias, & pluribus negotiis diſtentum ſe dicebat; & ſeparatim à cœtu, qui tum illic erat pranſurus, in conclaue deductum. Quo in conclaui, tantùm interim inambularit, cùm tamen illuc cibi inferrentur, ac tandem etiam bellaria: Sed ſe omnia reliquiſſe integra, & ſilentio diſceſſiſſe. *Dom. Canniacus.*

CAP. 20.

Deinde ad Põtiſaram profectum, in quodam ingreſſum eſſe taguriolum, vbi lue affecti decumberent: ibíque nonnulla eſſe collocutum cum vxore cuiuſdam peſte enecti, quem ſuum eſſe diceret. Atque hæc quidem omnia percontanti Dauidi libens & ſtudioſe reſpondebat *Dæmõ ad Pontiſarã profectus.*

impoſtor callidus.

CAP. 21.

Laurētii quoque amitæ exprobrauit, quòd parum ſe religioſam oſtenderet, & ingrato ſe geſſiſſet animo in virum vita functum: cuius cauſa nihil ad ſacra facienda expendiſſet: eúmque retentum in Purgatorio aſſerebat. Quæ ſanè poſtrema eius vox dePurgatorio, ſi ſuſpicari in ea re licet, impellente Deo, eſt extorta, vt tandem videant, qui nunc dæmonibus in credendo cedunt, quid de Purgatorio ſint exiſtimaturi. De quo certè nunc dicerem, niſi tota hæc quæſtio iam ſatis accuratè copioſéque tractata eſſet per clariſſimos & doctiſſimos Theologos.

De Purgatorio.

CAP. 22.

Neque huc referam quas præterea recenſebat nugas, de hauſtu calicis non epoto, & ob id ſe cohortatore, incuſſo vulnere: & de manu cuiuſdam cæſa, incenſóque horreo, flamma iniecta: quorum omnium ſe autorem prædicabat.

Incenſum horreum.

CAP. 23.

Neque diſſimulabat ſe quoque mulieri ſubſeruiſſe, dum equis duobus, & cuidam vaccæ crura illa ipſa ſecaret mulier, odio incenſa. Ita nimirùm garrulus ſermonem eiuſmodi narrandis producebat, & pro ingenio ſemper fraudem aliquam interea moliebatur.

CAP. 24.

Neque tam aſſiduus cum Laurentio erat, quin excurreret explorarétque, ſi quid alibi gereretur. Norat quid eius auunculus, & Andignicurti Parochus, conſilii iam cepiſſent, de hac

adeunda vrbe, vt Eccleſiaſten Theologum cõſulerent, de morbi genere tam inuſitato & admirando. Erat autem tum Eccleſiaſtes hîc nobis Ioannes Cannartus Pariſienſis, Doctor Theologus, vir & doctiſſi. & ſumma pietate clariſſimus, Canonicus & Archidiaconus Sueſſionenſis Eccleſiæ: nunc verò admirabili diuinóque inſtinctu, cœnobium & religionem Fratrum Minimorum apud Nigeonem iuxta Pariſios ingreſſus, vt vberiore fruatur animi pietate, eo arctiori vinculo Deo aſtrictus, & locupletiore ſyncerioréque contemplatione.

CAP. 25.

Ergo cùm id conſilii impius ille olfeciſſet, matri Laurentii, ſibi abeundum eſſe dixit: ſed ad eos viatores, qui Sueſſionem pergerent, abeundum, & qui iam vico egreſſi erant. Sibi tamen priuſquàm emigraret, mouendum concutiendúmque eſſe Laurentium ſemel atque iterum, cum digno gemitu & planctu. Atque ad eum locutus modum, protinus excurrit, ſectator & explorator auidus, ſed qui à ſuſcepto itinere breui eſt retardatus, quòd frequentiora Parochi facta crucis ſigna ferre non potuerit. C Et mirum profectò non eſt id ferre non potuiſſe ſignum crucis, quod ſanctum eſt, quod prophana expiat, & Deo conſecrat loco, quódque Chriſti memoriam refert, qui pro nobis cruci eſt ſuffixus. De quo non dicam hîc pluribus, poſt tot clariſſimos præſtantiſſimóſque Eccleſiæ Catholicæ doctores, qui vno conſenſu ſcribunt, ad omnem actum, omnémque inceſſum

Signa crucis efficacia.

eo ſigno frontem eſſe præmuniendum.

CAP. 26. & 27. *in Gallico exemplari.*

Reuerſus igitur ille crucis oſor adeò pauidus, aliud ſcelus moliri eſt conatus. Erat ibi miſella quædã mulier, quæ furtiuo coitu puerũ ediderat, pudore & mærore confecta, cùm ob inuſtum familiæ dedecus, tùm quòd à fratre aſperiùs reiiceretur. Eam ſtimulabat ad demergendum aquis partum, aut eundem ſuffocandum. Verùm monita erat mulier, vt Deum pręoculis haberet ſemper, eúmque metueret iuſtũ & paratum vindicem: & vt ſibi denique ac partui diligenter caueret ac parceret.

Dæmon ſuaſor homicidij.

CAP. 28.

Deinde ſimulator improbus nunc taciturnum & mutum ſe fingebat, nunc loquacem & garrulum. Vt enim Sueſſione ſub eius diei veſperam reuerſus eſt Parochus, & percontatus vt valeret, ídque non ſemel percontatus, prorſus obmutuit. Sed neque vocem vllam edidit, etiam cùm flagris vſurum ſe ille comminaretur. Verùm tremebat tacitus, & non mediocriter conturbatus. Buccas inflabat, ſéque veſte ſtragula obtegebat, cùm luſtrica ſpargeretur. Digreſſo autem inde Parocho, ad loquacitatẽ conuerſus, eadem omnia quę dixiſſet, irridendo repetebat, ſe totidem verbis ipſum alloquens, quot locutus fuerat antea Parochus. Poſthæc venatorem ſimulabat, canes vocitans, & quanto poterat ſono vociferans, clangénſque velut cornu inflato: neque ſe ad commonitionẽ remittebat.

Dæmon à luſtrica abhorret.

Irridet Parochũ.

Venatorẽ ſimulat.

CAP 29.

Patruo quoque etiam Sueſſione reuerſo, vt ad ſe venit, cœpit commemorare quid colloquii cum ſociis habuiſſet in via, & fidem fecit ſe eorum dictis, ſermunculiſque interfuiſſe. Deinde literas eum habere dixit ad Parochum Blerençurtium, quas vt perferret hortabatur: ſalutandique verba affingebat, quibus propemodum ſcurriliter vtebatur. Hæc erant illius exploratoris indicia, qui ceu peruigil excurſor luſtrabat omnia, & momento temporis reditú conficiebat. *Proinde ſe excurſorē.*

CAP. 30.

Corpus mentémque Laurentij huc atque illuc verſabat, & miſerum dictu eſt, quantoperè eum diſcruciarit, decimonono Calendas Februarii menſis.

CAP. 31.

Quo tamen die, à matre in templum eſt delatus, vbi toto durante ſacro, eius nunquam interquieuit agitatio: & ad preces, quæ ordine ſolenni fiebant, à tribus mulieribus eſt portatus, cùm interim grauiſſimè diſtorqueretur. Luſtrica ſe aſpergi iniquè ferebat, ſpargentem appellans pædiconem corruptiſſimum, & ſe lædi exclamans, dentéſque ſibi excuti. Deinde relatus domum, cùm nihil moderatius haberet vinculis eſt aſtrictus: neque tamen factus eſt inde moderatior, ſed verboſus nugator & futilis, ambagibus omnium aures perfundebat. *Aquæ luſtricæ vis.*

CAP. 32.

Ac dum hæc ſic ſe habent, eodem die Sueſ-

ſione commendata eſt ab Eccleſiaſte Cannarto Theologo, totius populi precibus, ægritudo Laurentii. Id fiebat circiter horam primam pomeridianam. Quo tempore vehementior ventus repentè excitatus, omnes, qui magnō numero aderant, adeò perculit ac terrefecit, vt metuerent, ne moles illa vitrea, quæ imminet, obſtruendis feneſtris appoſita, in ſe vndique corrueret. Atque is flatus horas viginti quatuor tenuit. Ægrè ferebat ſcilicet impurum ſceleratúmque dæmonium, tot preces cumulatas ſtudioſè ad Deum fundi pro Laurentio: quem nō omiſit, nec torquere deſtitit vſque ad veſperā. Tum enim placidè à matre ad Parochum eſt deductus Sed vt ingreſſus eſt in Parochi ædes, vrgente nefario ſpiritu, in fugam tanta ſe pernicitate corripuit, vt vix retineri valuerit. Neque verò ei in templum reducto morbus eſt intermiſſus. Cantabātur diuinæ orationes veſpertinæ, quibus ſe quoque cantorem admiſcebat. Quæ quidem omnia, vt paulùm reſipuit, rogatus an meminiſſet, nihil ſe nec factorum nec dictorum meminiſſe dixit, ac ne ſenſiſſe quidē aliquando quidpiam, vel audiſſe vel vidiſſe, præter ſpectra illa, quæ morbi acceſſus antecеſſerunt, & nonnulla ventris tormina exulcerantia.

Ventus excitatus à Dæmone.

Fugit Laurentius Energumenus.

Oblitus eſt dictorum ac factorū.

Cap. 33. & 34.

Reductum tamen domum tanta vitæ ſaluтiſque deſperatio occupauit, vt actum eſſe de Laurentio crederetur. Ad eam rem aſtabat, tum Parochus: quo digreſſo, mox recepto ille ſpiritu

Vitæ eius deſperatio.

garrire & nugari quamplurima, nec matri nec cæteris intellecta. Et patruo ad eum accedenti atque alloquenti, Abi ſis, inquit, in malam rē, tu qui Album ediſti. Album verò ſentiebat, corpus Chriſti venerandum ſub panis ſacrati candore, quem eo ille die acceperat, cùm ſe ad craſtinam profectionem in hanc vrbem comparaſſet. Idem verò etiam fecerant & mater & cæteri cognati.

Album cōtumelioſe appellatū.

Profectio ſueſſione cā parata.

CAP. 35.

Poſtero autem die cùm ad ſacrum audiendum deduceretur, curſu repētè actus eſt ad corripienda templi tintinnabula, quæ & ad ſonitū impulit. Faciem tamen accenſam in adorando Chriſti corpore tenuit inter ſacrum placidè: ſed mox linguam ſibi euelli exclamauit. Itaque os operuit, vt eam palpandā traderet: ſed, quod mirandum eſt, nihil linguæ intus eſt inuētum, nihílque quod tangi ac palpari poſſet.

CAP. 36.

E templo deinde curſu incitatiſſimo domum regreſſus, ientauit: & tum de profectione in hanc vrbem actum eſt, ad quam ſe pedibus iturum dicebat. Sed viſum eſt potius matri, auunculis atque amitæ, vt ciſio perueheretur. Itaque in id eſt impoſitus. Quo in itinere multa & varia loquebatur pro ſuo more. Commōſtrabat ibi locum egregiè compotantium, vbi temulentum vnum effeciſſet, & alium quoque vino extinxiſſet obrutum. Alibi horreum demonſtrabat, quod flammis ſua ope immiſſis conflagraſſet. Deinde facto aliquanto itinere,

Laurētius ciſio impoſitus.

Dæmon ſuaſor temulentiæ.

Conflagrātis horrei.

ciſium, vti iam antè fuerat comminatus, in terram deciduum euerſum eſt, decuſſatis eo caſu Laurentii tibiis. Quamobrem caſu eiuſmodi delectatus ille: & , vt ſolebat, pericula atque anfractus quæritans, voce ſubinde repetita: Mea, inquit, opera euerſum ciſium & iumentũ humi proſtratũ eſt. Auunculus Faquerius eum brachiis attollebat ex eo caſu: qui & ab eodem audiit, vapulaturum ſe inſigniter, niſi Album ediſſet eo die. Eo enim die venerandum Euchariſtiæ ſuſceperat ſacramentum, quod non potuerat elapſo proximè die Dominico.

Autor euerſi ciſij.

Euchariſtiæ vis.

C A P. 37.

Atque vt ciſium ad huius vrbis peruenit pomeria, rota in ciſiarij tibiam non ſine offendiculo, incidit. Id autem eueniſſe creditum eſt dæmonis opera, qui ſe eius rei autorem poſtea veſperi profeſſus eſt. Nam patrono ferè tibiam fractam ſua arte dixit. Patronum verò, Parochi exemplo, ciſiarium nuncupabat: qui nimirùm Euchariſtiæ ſacramento ſe aliorum exemplo non inſtruxerat: quod certiſſimum tamen eſt contra omnes caſus antidotum. Et hæc quidẽ hactenus, ante introitum in hanc vrbem,

Euchariſtia antidotum.

SECVNDA PARS huius hiſtoriæ.

Nunc poſtquàm huc ingreſſus Energumenus Laurentius, videamus quid præcipua hac narrationis parte geſtum ſit: præcipua, inquam, parte, in qua ſaſacroſancta Euchariſtiæ vis immenſa elucebit, deuictis profligatiſque dæmonibus: & ſimul ſacrarum reliquiarum multa & magna apparebit energia.

CAP. I.

ANNVS erat, qui & nunc eſt, Milleſimus quingẽteſimus octogeſimus ſecundus, & decimus octauus dies ante Calendas Februarij menſis, cùm Laurentius miſerrimè afflictus primùm in ædes Cannarti Eccleſiaſtæ Theológi adductus eſt: vbi cum paulùm conquieuiſſet, cathedræ impoſitus, vt de morbo interrogaretur, mirum egit ſilentiũ: tantùm oculos vltro citróque verſans, & buccis inflatis, vultum commouens, cum inteſtinis paulò infra ſtomachum laborantibus. Deinde tali ipſe corporis & oris habitu, ad Reuerendum Præſulem eſt delatus, turba eum proſequente innumerabili. Eóque perlatus, ſuper arcam in ſuperiore eiuſdem Præſulis porticu depoſitus eſt: vbi & in ſummo ſilentio, vti antea, non aliud quàm circumagere & rotare oculos, cùm ore quoque tumido & rubicundo eſſet, ſéque hic & illuc dimoueret atque agitaret. Quod cùm diligentiùs attentiúſque expẽ-

Laurentius energumenus ad Theologũ deducitur.

Ad R. D. Epiſcopũ deinde.

Nigrum vocāt, bonum autem per antiphraſin. De quo abigēdo cùm reputaret apud ſe Theologus, quanti res eſſet negotii, ac diceret non exceſſurum eum, niſi grauiter inflictis ictibus, emigrandum ſibi eſſe non negabat ille, ſed duris fuſtibus opus eſſe. Et duris profectò, nimirùm ieiuniis, & aſſiduis precibus.

CAP. 4.

Ad nugas autem ſubinde redibat, agnum vertigine laborantem pro veruece eſſe datum, & compotores in oenopolio pecuniam expēdiſſe, conſumpſiſſéque. Deinde cauſas commemorabat, cur in hunc potius Laurentium inuaſiſſet, quàm in alium. Hunc enim aiebat nec idoneum, nec ſatis probum eſſe: & illum patre perdito atque improbo eſſe ortum. Poſtea matrem inuitabat, vt manum ſuo ori applicaret: Nam tunc eſſe probaturam, ſibi nihil eſſe opus dimotis labiis ad loquendum.

Proles ſæpè ſimilis parenti.

CAP. 5.

Ac niſi res hæc eſſet vehementer ſeria, ludū diceres, tanta eſt in ea reciproqua & repetita frequens mutatio. Nunc ſedato animo ſe vacaturum orationi dicit, Preces vulgatas poſcēs, nunc redeunte animi ægritudine, eas abiicit, & precandi voluntatem ferox & inſolens abrūpit. Deinde perpauco interiecto tempore reſipiſcens, & ſe colligens, ad preces redit. Theologus igitur hæc attendens, omnes cohortatur vt erectis in Deum ſint mentibus: luſtralémque aquam aſpergit, qua tamen aſperſa, velut irritato ſpiritu nefario, vociferatur indignabun-

Dæmon autor inconſtantiæ.

Aquæ luſtralis vis.

dus, & diſcruciatur miſerè, eis quoque non mediocrẽ laborem iniiciens, qui ſe comprimerent, & coërcere niterentur. Ore etiam nonnulla effundebat, quæ articulata non erãt, nec ſatis expoſita.

CAP. 6.

Interea Reuerendus Præſul, interueniens, luſtricam illicò aſpergit. Aluo ille erat tumidiore, ideóque laxatum eius eſt cingulum, cùm ore hiati admorderet, & vnguibus lacerare conaretur corollam precũ, brachio læuo applicatam. Humaniſſimè eum Præſul compellabat, filium nuncupans, ſéque vt aſpectaret & alloqueretur adhortans. Verùm tunc ſenſu mentis carebat, morbi acerbitate oppreſſus & præpeditus. Itaque eo ſermone omiſſo, idque rogante & monente Theologo, Reuerendus Præſul ad imperandum accedit. Et imperat primùm, vt nomen edat. Obſcura tum ille voce, Bonnorium, ſe nuncupauit.

Corolla precum.

Nomen dæmonis Laurentiũ vexantis.

CAP. 7.

Deinde rogatus cur hunc ita diſcruciaret, ſimiliter vti antea, ad veruecem commutatum rediit, & auunculi culpã denuò notauit. Mutus erat, pedéſque iactabat huc & illuc: & caput concutiens, lęuum brachium ac manum, quam coërcebat Theologus, dentibus euellere conabatur. Manum quoque dextram ipſius Theologi in faciem admotam, vt rem fœtidam aduerſabatur, vngues & morſus intentans. Cuius digitum cùm prehenſaret, nihil nocebat, neque elidẽs neque mordẽs. Atque ad eam rẽ ſpectã-

dam plus quiuquaginta teſtes intentiſſimi erāt: Vultus illi ſubinde variabat. Ex læta enim, & aſpectu hilari facie repente in horridam & caperatam mutabatur: Et oris terrifica depra-uatione,oculi ad ſupercilia rigeſcebant, albo eorum nunc tantùm infra pupillam cōſpecto, & modò infra omninò depreſſis oculis, ad horrorem incutiendum. *Vultus & oris Laurentij deformatio.*

Cap. 8.

Prorſus aliquando in,motus manebat, velut omni ſenſu carens,adeò vt Reuerendi Præſulis iuſſu ter punctus acicula paulò ſupra genu,ſe non mouerit:& tamen paulatim deinde velut ſe recipiens,in riſum ſit cōuerſus, loquēs & illudens: poſteáque ſub ſecundam pomeridianam cùm plerique adeſſent,nugari & interfari cœperit,cùm de multis aliis rebus, tum de Theologi digito,quem nec momordiſſet, nec læſiſſet,eum eſſe ſacrum dictitans. *Punctus Laurentius non mouetur.*

Cap. 9.

Sub noctem verò gemere & cōqueri cœpit, nomen Doctoris inclamans ſæpiùs.Itaque accerſitus Doctor Theologus, qui tum in bibliotheca occupatus erat deſcribendis cuiuſque diei rebus actis, vt earum memoria fideli teſtimonio poſteritati conſeruaretur. Quem ad ſe accedentem conſpicatus ille, exclamauit illicò manus eū habere fœtidas: & cauillis, vti antè ſolebat, & iocularibus dictis ludere, dicacitatémque oſtentās, in obuiam quemque inſiliens.Nam ſcommatibus è vulgo ſumptis vtebatur,multíſque vocabulis,quæ nihil attinet *Dæmon pias occupationes interpellat.* *Manus ſacræ diabolo fætidæ.*

hîc commemorare. Et ſibi blandiri videbatur in rebus ſuæ naturæ aptiſſimis, vt ex ore & toto corporis affectu apparebat. Dicam hoc vnum, atque id bona omnium pace. Aſtabat vir ſacerdos, contemplans & obmuteſcens, in quem ſubitò ille inuectus, venuſtam & arte compoſitam eius ſub nare barbam notauit, Græco vocabulo, etiam apud Gallos vſitato, Myſtaca appellans. Quam ille exprobrabat, vt & olim Lacedæmonii exprobrauerunt & culparunt. Deinde alium contemplatus ei proximum, ſibi eundem tradi poſtulabat, oculo ſuo concludendum, & coërcendum cum veſte ſua nitida, & delicato linteolo naribus admoto. Hæc ille ita ridiculè ſumma licentia loquebatur, cùm ad eum venit Reuerendus Præſul, qui petitum ab eo annulum digito ſuo inſertum, ſtatim propoſuit oſculandum. A quo tamen repentè ille auerſus, & conſputans, procul abiiciendum eſſe dixit, verbis ſcilicet diuinis ex eo annulo ſpirantibus, quæ grata dæmoni non erant.

Scomma dæmonis in quendam ſacerdotē. ὁ μύσταξ.

Annulus Epiſcopi reiectus à dæmone.

CAP. 10.

Theologus igitur, qui vanis eum ſermonibus delectari norat, relinquendum cenſuit, & inde abeundum. Abſtinendum quoque dæmonum colloquio, niſi cùm res & neceſſitas vrgeret. Quamobrem diſcedebat: quem diſcedētem verbis ſalutatoriis proſecutus, commemorabat dolêre vehementer, quòd ſibi tempus fruſtrà eriperetur: & cùm ſalutatus nihil reſpōderet, à iocis & riſu in dolorem eſt conuerſus, diriſque cruciatibus Laurentium adegit ad gemitum

Dæmonis aſtutia, tēpus inutiliter teritur.

gemitum & planctum. Quod cùm ſenſiſſet Theolog⁹,mox ex ipſo egreſſu rediit. Sed vafer & improbus nugarum artifex, ad ludibria reuerſus, otioſis auditoribus denuò illudebat. Cuius dolos non ignorans Theologus,ſed tum diſſimulans,abibat,ſubmiſſiùs Vale dicto Reuerendo Præſuli. Ei tamen vix duos paſſus è porticu egreſſo, renunciatur ad mentem rediiſſe Laurentium. Secundò ergo eodem reuertitur,quanquam ſciebat expetitum ſe, vt fruſtrà ſibi tẽpus elaberetur, Qua de re, & eos qui aſtabant commonefecit.

Cap. II.

Abiit tamen poſtea: ſed poſtero die rediit ſub horam quintam matutinam, nimirùm decimo quinto Calend. eiuſdem Februarij. Quem ingredientem ait ille veniſſe citum & feſtiuũ, volucríque ſimillimum. Deinde cornu inflato venatorem ſimulans, multa iocoſè & propè ſcurriliter referebat, vti antè fecerat cùm veſtiretur. Theologus igitur omnes admonuit, vt ei parciſſimè loquerentur, & precationi, eius cauſa, darent operam. Iratus dæmon cùm morem gererent, & cum accenſa lucerna precaretur Theologus, materque Laurentii, auunculus & & amita, in hanc erupit vocem his verbis. Te is perditum, ô Doctor, orationes tuas ad iſtud effundens lignum. Lignum verò menſam dicebat, Atque hoc dicto, tanto fremitu eſt vociferatus, vt orationes interturbaret & interpellaret. Sed fruſtrà hæc cõmenta, Pergebant enim vnitis animis comprecari, & congenulantes ſe

Dæmõ venatorem ſimulat.

Orationes interturbat.

deiicere, more videlicet patrum noſtrorum, fereque omnium gentium, quibus miſericordiæ conſecrata eſſe genua viſa ſunt. Cùm ergo ab orando non deſiſterent, ſe quoque precari velle ſimulauit, ac labra quaſi orator mouit. Ita nimirùm fabulam ſuam cõmentitiã ille ordiebatur, qua pietati aliorum moram afferret. Et illudens ineptè, dicebat ſtolida eos mente, genu ante lignum flectere. Eò quoque acciti fuerant duo paruuli pueri à Theologo, qui eius cauſa orarent, Litaniámque recitarét: ſed inter eas preces, ſublato ille clamore, improbo ſe pedum frigore vrgeri dixit, cùm percalidos tamen eſſe amita, facto periculo, ſenſerit. Nunc mutus, & in acerrimo dolore excruciatus videbatur, & nunc omni liberatus dolore cum aliis orabat.

Puerorum oratio.

Cap. 12.

Eodémque die circiter horam nonam, cùm in auguſtiſſima Eccleſia ſacrum pro defunctis fieret, ipſéque intereſſet, in omnium cõſpectu miſerè eſt diſtortus. Caput immodicè quatiebat dum arctiùs teneretur, & ſe ſæpiùs diſcalceabat, Quo ſacro peracto, ad ſupplicationem, quæ ſolẽni ordine fiebat, eſt delatus, morbo nõ interquieſcente: qui tenuit atque afflixit, donec oſtentata eſt alterius, in eodem choro, ſacri facti Euchariſtia. Nam tum recepto animo, precari ſe velle innuit, & preces popoſcit.

Torquetur inter ſacrũ Laurẽtius.

Cap. 13.

Atque eiuſmodi quidem fuit eius incõſtantiſſimi animi tam crebra mutatio. Quæ ſanè vt

eſſet notior, iuſſu Reuerendi Præſulis accerſiti ſunt Franciſcani duo, Antonius Flobertus, & Robertus Bunayus, qui illum obſeruarent, & ſuis orationibus, omníque alio ſubſidio adiuuarent. Erat autem ille deductus in inferius Epiſcopei conclaue, ſitum ad Occidentem, & ad hortum adiacens. Ibi Flobertus, qui aliquãdo antè adfuerat in exorciſmis iſtius Vreuinæ Nicolaæ (de qua celeberrima & ampliſſima eſt hiſtoria, Lutetiæ typis publicis impreſſa anno dom. M.D.LXXVIII. & quæ Lauduni, tot expulſis dæmoniis, ſanitati reſtituta eſt) ſe cõponit atque apparat, vt verè periclitetur an impurus ſit ille ſpiritus. Itaque ſibi coràm proximè adeſſe Laurentium, morbo agitante, iubet, dum ad lectulum ipſe acquieſcit. Allata eſt ei aqua, vt ſecretò iuſſerat, ſed duplex: vna communis, nullis expiata orationibus: altera purgata exorciſmis, & diuinis verbis. Aſſidebat tum ad focum Laurentius, capite ad ignem propendente, multíſque inſpectantibus. Primùm aqua communis in caput illi aſpergitur, & nihilo fit cõmotior. Pòſt expiata & luſtrata: quam vt rem putidam auerſatur, ſagi particula caput perfricans & extergens. Attulerat etiam Franciſcanus roſas & flores duorum generum in papyraceis loculis: quorum alii diuino pretioſóque altaris ſacramento ſuperpoſiti fuerant: in aliis, nihil pretii aut admirandi erat. Tactus eſt Laurentius primùm his, qui nihil pretii & diuini haberent, neque eſt commotus. Deinde

Accerſiti duo Franciſcani.

Probatur eſſe impurus ſpiritus in Laurentio.

Aquæ luſtricæ vis.

Florum vis ex attactu Sacramenti.

altero loculo tactus, effigie miſeranda eſt diſtortus, putidum id vocans, ſceleſtúmque iſtum dicens pædiconem eſſe, qui tangeret. Certum hoc eſſe indicium nouit Franciſcanus, neque iam dubitandum, quin Laurentius à cacodæmone opprimeretur: Nihil opus eſſe quæſitis aliundè clarioribus argumentis. Paulò verò pòſt menti eſt reſtitutus: ſed, vti iam antè toties acciderat, ſub horam ſextam viſus eſt morbus ingraueſcere, cùm vultus pallidior factus ſit. Marcidus erat, bardus, ſtupidus, & planè torpidus.

CAP. 14.

Cuſtodes Laurentij cum Franciſcanis.

Additi ergo Franciſcanis illis, & Reuerẽdi Præſulis ſerui, qui ſumma cura aduigilarent, in eo ſeruando & tuendo. Horum alter ad mediã noctem inſomnem vigilauit: alter inde ad lucẽ diei clariſſimam. Morbo tamen non admodum tentatus ea nocte fuit: ſed excitatus tantùm ſæpiùs, lecto ſe excutiebat, volens egredi è conclaui. Rogantéque Franciſcano quidnam vellet, & quò tenderet, velle aiebat è lecto ſurgere. At nondũ luceſcere admonebat Franciſcanus.

Spectrum Laurentio obiectum.

Spectrũ ille viderat, quod nõ audebat aperire Frãciſcano: matri tamen poſcenti aperuit. Erat illud, miræ magnitudinis Leo cãdidus, ſtans in conclauis feneſtra, oculis patentiſſimis, propéque adæquantibus latiſſimum beluæ caput, & conatus, vti videbatur, prehendere & vorare.

CAP. 15.

Multa deinde minitari cœpit irrequietus ille, & nouorum ſcelerum machinator ſpi-

ritus. Nam decimoquarto Calend. eiuſdem Februarii menſis, ſub quintã horam matutinam, cõminatus eſt inſequenti nocte quiddam inſigne, & rumore dignũ ſe patraturũ eſſe, ac, ſi pergerẽt Frãciſcani eodẽ illo in cõclaui pernoctare, ſtrangulaturũ ſe Laurentiũ, vti iã fuerat conatus. Et tum quidem, niſi retentus eſſet, in ignem coniiciebatur. Minatus quoque eſt, ſerò aliquid ſe aſportaturum, id quod poſtea intelligetur. *Comminatio dæmonis*

Cap. 16.

Eodem die intra ſeptimam & octauam horam, Laurentius ſacerdoti culpas eſt confeſſus, deductúſque in ſacram diui Claudii ædiculam. Quo loco, eius cauſa ſacrum fecit Theologus, aſtante Bunayo Franciſcano, & ne ſibi manus violentas afferret, aut detrimenti aliquid, cum alio Laurentium non ſine ſummo labore & ſudore tenente: Floberto interea audiente ſibi confitentes matrem & cognatos. Sed cùm Euãgelium recitaretur, extremum dolorem eſt teſtatus, diſtractis diuulſíſque oculis: neque coërceri, niſi ſummo labore, poterat. Aluus cum facie turgeſcebat, vt facilè omnes, qui aderant, incredibilem animi conciperent dolorẽ. Ad mentem autem rediit circa eius ſacri conſecrationem: & tum audiens qui diceret multa ipſum perpeſſum eſſe, nihil ſe laboraſſe dixit, nec dolorem meminiſſe. *Euangeli lectio torquet Dæmones.* *Dolorum oblitus Laurentius.*

Cap. 17.

Sed cùm paulùm iterum tentaret morbus à ſacro remeãtẽ, preces abiecit, quibus nihil ſibi eſſe opus palàm fatebatur. Aliquãtò verò pòſt

placidè ſe geſſit, ac ita reliquum diei tranſmiſit.

CAP. 18.

Theologus minarum eius recordatus, voluit & noctu intereſſe, vt Franciſcanorũ leuarẽt peruigilationes, vtque ſomno & quiete aliquantùm reficerentur. Itaque ipſe, dum ſerui admiſti conquieſcerent ac dormirent, aſſiduã cum aliis orationi operam dedit ad mediam noctem. Et circa decimam eius noctis horam, concuſſæ ſunt vehementer tegulæ, tanto edito ſtrepitu, vt exilierint ſerui ſpectatum quanta & quorſum hæc eſſet ruina: qui tamen curſu rapido terrefacti retrò auerſi ſunt: & luceſcente poſtea die, nulla tecti nec confracta, nec deiecta viſa eſt tegula. Vna verò tantùm ablata fuit cum rupto eo lapide, qui ligneam porticus columnam fulciebat. Vacillabat igitur columna pendula, nullo tunc ſuſtentãte lapide: cuius fractura fuit vnius pedis, hiante ad ſemipedem altitudine. Fragmẽtum manè Flobertus reperit, Præſulíque oſtentauit. Eodem tempore excuſſum etiam & aſportatum eſt ſcutum feneſtrę vitreæ proximè lectum Laurentii morbo tunc agitati. Quod ſanè ſcutum gentilitias eiuſdem Præſulis continebat imagines, latum ipſum in ſemipedem. Eius rei ſtrepitum crepitúmque audierunt, qui cum Theologo in conclaui tunc erant.

Theologus vigilat.

Terror nocturnus à dæmone.

Ab eodem fractura columnæ.

Scutum feneſtræ vitreæ ruptũ.

CAP. 19.

Poſtero die ſub horam quintã morbus recondiit. Is dies diuo martyri Sebaſtiano ſacer erat, quotannis Sueſſionum religione & cultu ce-

lebris, ex quo tempore in hanc vrbem ſacrum eius corpus anno Domini DCCC. XXX. eſt allatum. Commonſtrabat ille feneſtram vitream, vnde ſcutum effregerat, ſuam eam eſſe dicens: & Reue. Præſulis ſeruis illudens, eos ad heri equile mittebat, in quo à ſe porrectos egregiè faſciculos iactabat. Denique agaſoni perue̜cturo ſe, vt dicebat, ad diui Medardi Eccleſiam, negabat ſe iturum. Eſt autem ea diui Medardi Eccleſia, antiquiſſimum cœnobium extra vrbis noſtrę pomeria, populo Sueſſionenſi venerandum imprimis. Ita loquax blatero, quæ facta erant, alacriter recenſebat, & quæ futura erant, plærunque etiam prænũciabat. Matri enim & cognatis predixit hoc die Album comeſturos, cùm necdum de ſuſcipienda eo die Euchariſtia cogitaſſent. Verùm incredibiliter ſubtilis & acutus ſpectator atque explorator eſt, multáque temporum experientia & vitæ longitudine percallidus: ſed cui tamen nihil iucundum aut ſuaue eſt, niſi quod ſordet & impium eſt. Horret ad inuocationem diuini ſpiritus, atque adeò quidem horret, vt non tacuerit ſe torqueri, cùm notiſſimus hymnus, *Veni creator ſpiritus*, ad muſicum inſtrumẽtum accineretur, quaſi acerrimo ſibi inflicto verbere, & ictu fuſtis violenter impacto.

Dies S. Sebaſtiani celeberrimus Sueſſione.

Cœnobium D. Medardi Sueſſionenſe.

Prædicit dæmon futura.

Aſtutus & callidus eſt.

CAP. 20.

Et cùm tantoperè à Chriſto, Chriſtíque cultu abhorreat, ſi quid purum eſt, & Deo colendo deſtinatũ, id reſpuit, & procul amouet. Nam Franciſcano codicem ſacratum Precum

Emendicat Dæmõ vel viliſsima. tenenti, viliſſimas dixit eſſe quiſquilias, & ſtercora fœdiſſima in eius manibus. A quo tamen infœlix mendicus & planè egenus, viliſſima quæque ipſe poſcebat, nunc videlicet foliū aliquod papyraceum, nunc claues, aut eis alligatum globulum, aut aliud quidpiam vel minimum, quod ad inferos reportaret, non auſurus alioqui, vti commemorabat, inde abſcedere, quin referret aliquid, prædę ac manubiarū vice. Et ſcurra profectò impudens, iocoſè Satanam rigidiſſimum etiam dictitabat: à quo in ſe concitatam paruulorum Dæmonū cohortem metueret, & plæraque inſuper alia, quibus ſe ridiculum cauillatorem teſtabatur, promptúmque ad dolos artificem. Iſtis enim velut armis ad inſidias fabricatis in nos quotidie furtim decertat maleficus nimirùm & ſceleratus panurgus. Qui cùm certò iam in perpetuum damnatus ſit, de aliis tamen ſententiam iniquiſſimam ferre audet: & Hugonothos ſaluos dicere, quibus ſe paradiſum deſtinatum habere fatetur, & pulcherrimos egregiéque adornatos lectos. Nam ſacerdotes & Franciſcanos omnes vna damnauit ſententia, ineptiſſimus & ſtolidiſſimus iudex. *Impudentia Dæmonis.*

Cap. 21.

Ac dum huiuſmodi multa inconditè effundit, mittitur qui Theologum acceſſat: in quem tamē ſtatim prouocatur, pædiconē eum appellans nequiſſimum: cui ceruices ſe fracturum comminatur, ni deſiſtat. Et nondum, ait, paratus eſt doctor: qui profectò paratus non *Prælicho Dæmonū.*

etat, cùm tunc veſtiretur. Deinde vt itineri eſt accinctus Theologus, ac iam conſcenderet in Diui Ludouici ædem, ipſum & venire, & propè adeſſe ſenſit ac prædicauit: atque ad nugas eo conſpecto ſe conuertit. Verùm Theologus omiſſa eius garrula percunctatione, omnes ad precandum eſt cohortatus: & ſumpto Precario codice Sueſſionenſis Eccleſiæ, inuocatóque diuino auxilio, exorſus eſt à Litania: quam iniquiſſimè ferés ſpiritus impius, coërceri nō poterat, quin petulantiam effunderet in ipſum Theologum: & ſe quoque lædi atque appeti grauiſſimo ictu, miſeréque diſpungi querebatur. In qua recitanda Litania, cùm ad D. Sebaſtiani nomen & inuocationem peruentum eſt, ſtimulatus eo nefarius ſpiritus grauiùs cœpit Laurentium diſtorquere, & ſic affari Theologum: Si tibi compertum eſſet, quantis crucibus me afficias, nunc remiſſiùs & ſedatiùs agas. Sed & vociferari cœpit vehementiùs, ſe trucidari inclamans & conquerens, cùm venerandę reliquiæ eius ſtomacho admotæ ſunt. Eas autem à Theologo acceptas admouebat Flobertus Frãciſcanus, in quibus quoddam inerat fragmentum è capite Diuæ Cæciliæ, Diuæque Vrſulę, & multarum aliarum virginum ſacrarum, quæ & inter preces inuocabantur, illo interim ſe nimiùm multa audire expoſtulante, & obtundi tanto numero, diſceſſúmque comminãte. Nec fruſtrà omninò diſceſſum comminabatur, qui ad decimam vſque à torquendo conquieuerit. Quo tempore culpas animi ſacerdoti Lauren-

Litaniæ recitatæ virtus.

S. Sebaſtiani inuocatio torquet Dæmonem.

Sanctarum reliquiarũ vis.

Confitetur ſacerdoti Laurētius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tius eſt confeſſus.

CAP. 22.

Hora octaua in ædem ampliſſimã atque auguſtiſſimam eſt perductus, quo incredibilis hominum confluebat multitudo, ad publicam ineundam ſupplicationem. Diſtorquebatur tamen interea, dolore interaneis infeſtiſſimo ipſum cruciante. Procedebat ea ſupplicatio ſolenni ritu & congreſſu ad Diui Medardi cœnobium, præclaro omnium vrbis noſtræ ordinum cœtu eodem incedente, ſimúlque Reuerẽdo incedente Præſule ſuo loco, & adoleſcentulo Laurentio, cum matre & propinquis iter pedibus conficiente.

Supplicatio ſolennis ad Diuũ Medardum.

CAP. 23.

Claudicãt Laurẽtius.

Quanquam dextro crure claudicans, ille trahebatur, & eius quoque auunculus Dauid, à Vedaſtini ſuburbij porta ſegnis & grauis in faciendo eo itinere, ægrè conſequebatur. Vterque tamen conualuit, vt ad ſacram ipſius Diui Medardi ædem peruenerunt.

CAP. 24.

Is dies feſtus erat & ſacer Diui Sebaſtiani Martyris nomine: eáque decreta ſupplicatio, primùm conſilio Reuer. Præſulis, deinde noſtri cœtus & ſodalitij, qui loco ſueto conueniẽtes idem cenſuimus, auditis omnium per ordinem & de more ſententiis, pręſidente in eo cœtu Claudio Merleto. Ad quam ſupplicationem omnes vrbis Eccleſiæ conuocatæ ſunt: in

quibus & Canonici, & Parochi cum ſuo quiſ-que populo adfuerunt. Franciſcani in prima acie incedebant. Pòſt, Diui Petri Protemplaris Canonici: quos Diui Vedaſti Canonici conſequebantur, & Diuæ Virginis Mariæ à vineis Canonici. Aderant & ſuo ordine Parochi Eccleſiarum, Diui Quintini, Diui Remigii, Diui Martini, & Diui Leodegarii. Neque defuit præclaro ſuo in ordine Sancti Ioannis à vineis nuncupati, pulcherrimum laudatiſſimumque ſodalitium Religioſorum: ſingulorumque ordinum cruces præferebantur. Nos autem ædis auguſtiſſimæ Canonici, ordine cõſequebamur: & poſt nos, Reuerendus Præſul, qui primas in hoc ſacro tenebat negotio. Poſt quem, aliquanto interuallo, veniebat medius inter auunculos Laurentius, matre & amita conſequentibus proximè. Deinde Præfectus vrbis Petrus Auenellus, qui iuri dicũdo pręeſt, cum reliquis togatis. Poſtremô verò maxima & numeroſiſſima cæterua tum virorum, tum mulierum omnis ordinis & conditionis, longa ſerie conſequebatur.

Celebritas ſupplicationis.

CAP. 25.

Eo igitur, quem commemoramus, cœtu ingreſſo Diui Medardi templum, iuſſus eſt Laurentius in genua procumbere ante aram maximam, quinto aut ſexto ab ea paſſu. Ibi edocetur à Floberto, qua ſe ratione compararet ad ſuſcipiendum altaris ſacramentum. Reuerendus Præſul interea ad aram ſtabat,

cultu Pontificio adornatus: in qua ſacrum fecit ſolenne de ſancto Spiritu, choro Eccleſiaſticorum aſſiſtente.

Cap. 26.

Cannartus Theologus diaconi munus obiit eo in ſacro: qui & peracta eius, vti aſſolet, oblatione, Euangelium ad populum expoſuit. Erat verò id Euangelium huiuſmodi: *Deſcendens Ieſus de monte, &c.* In quo explicando, poſt declaratam cauſam deſcenſus Chriſti, redemptoris & liberatoris noſtri è cœleſti mõte, in campeſtria & ſquallida huius mũdi loca, vt nos omnes animorum & corporum morbis leuaret & curaret, ſimul eiuſdem infinitam potentiam, clementiam, & bonitatem prædicabat. Addebat & collatam poteſtatem ipſi Eccleſiæ, & his qui in ea ſtabiles immotíque permanerent: Et miracula, quæ ederentur in Eccleſia, eſſe irrigationes fidei, quæ ſeritur, & quæ ſata eſt. Afferebat etiam ſimile quiddam de arboribus: quibus enatis, & iam excreſcentibus in altũ, non eſſe opus irrigatione. Si tamẽ earũ quis ramus exareſceret, is diuinæ bonitatis affectus beneficio, reuiuiſceret, & fructũ tandẽ ederet. Atque eius quidem rei noſtro hoc ſeculo eſſe oſtenſum exemplum, clariſſimo illo Lauduni edito miraculo. Quod & ipſe quoque futurum ſperaret in hunc adoleſcentulum, eadem diuina bonitate & gratia adiuuante. Docebat & magni rem eſſe momenti ad euellendas ſtirpitùs hæreſes, quæ tam miſerè hac noſtra ætate, & in his Galliis ſerpũt & pul-

Concio ad populum.

Iulant:Noſque ita conſtantiùs amplexuros matrem noſtram Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam & Romanam: Et ſanctiſſimum denique ſacratiſſimúmque illud Tridentium Conciliũ ſuſcepturos, cuius neglectu, ab annis viginti, tot nos experti ſumus diuinæ voluntatis animaduerſiones, tótque labores & difficultates: quas tum auferet, cùm reſipuerimus, eũ agnoſcentes, gratiáſque agentes, vt viri & ingenui liberi.His porrò addebat,opus eſſe ſyncera animi religione, & precibus multis ad hoc negotium,cùm id Dæmoniorum genus, niſi oratione & ieiunio non eiiciatur:fidem tamen imprimis neceſſariam eſſe.Et mirum cuiquam videri non debere, ſi ſtatim non expellatur nefarius ſpiritus, cùm vel Apoſtoli ipſi non omnes ſtatim expulerint ſibi oblatos & productos: Nam ſubeſſe fortaſſe nonnihil cauſæ in multorum abſentia, qui ad gloriam Dei cumulandã tum abeſſe non debuerant.Quamobrem metuere ſe aiebat, ne hic Dæmon idem aliquando exprobraret, quod Beelzebub Lauduni fecerat, proceres culpans, & accuſans abſentes: Quorum non ſolùm accuſabat abſentiam, ſed & prorogatos ſibi propterea dicebat dies. Aſſerebat tamen ille Deum à numero & multitudine non pendêre, nec minus nunc poſſe, quàm ſemper potuerit.Itaque implorandam eius opem: Diuæque Mariæ Virginis & Sanctorum omnium interceſſiones, quibus nos commendari oporteat. Denique iacturam facturos non mediocrem dicebat abſentes,ſi nunc Deus hunc Lau-

rentium liberarit, mentémque reſtituerit.

CAP. 27

Benè verò tunc habere viſus ille eſt: qui & placidè perſeuerauit vſque ad ſacrã Reuer. Piçſulis benedictionem, quam populo inter ſacrum impertitur. Nec ſigni quicquam in eo tum poterat animaduerti, cur à Dęmone occupari cenſeretur. Quocirca nonnullis interea iuſta quadam, vti videbatur, ſed ignota ratione hæſitantibus, tandem erupit occultum diſſimulatúmque virus. & vt finita fuit Pontificia benedictio, improbitatem ſuam prodidit nefarius ſpiritus. Litania cõmemorabatur, in qua, inuocato Diuo Nicolao, corollam precum ille abiecit, earum funiculum mira facilitate diſrũpẽs ac diſſipans, & granis in Eccleſię pauimẽtum diſperſis, ac mox pedibus proculcatis. Itaque vt propiùs accederet ad altare, viri quinque iniectis in eũ manibus, renitẽtẽ coëgerũt & nõ ſine maxima difficultate iuxta altare detulerũt, quamuis maxima à tergo impreſſio fieret, quæ deferentibus auxilio erat, permultis audire cupientibus quidnam diceret, & quæ eſſent huius negotii diuinæ ceremoniæ. Tanta autem multitudine ſacra ædes oppleta erat, vt plærique ab aliis calcarentur, variéque opprimerentur. Erat numerus hominum, vt dicebatur, trium vel circiter quatuor millium, maiórque multò futurus, ſi locus potuiſſet capere: & reſciſſet populus Sueſſionenſis, rem tantam eo die peragendam. Fefellerat enim loquax & mendax ſpiritus, qui die Dominico proximè immi-

Vexatio Dæmonis, benedicente Epiſcopo.

Hominum numerus multus.

nenti expellendum ſe prædixerat, & tunc Eccleſiæ auguſtiſſimæ ſuggeſtum dirupturum.

CAP. 28.

Sacro peracto, Reuerendus Præſul, Diuorũ reliquias venerãdas proferri iuſſit, & quicquid paratum erat ad exorciſmos inchoandos. Crux allata eſt, cereus benedictus, & Ruta herba, cum libro exorciſmorum iuxta Romanã formam. Rutam verò expiatam pro ritu Romani Enchiridii recens excuſi Lutetiæ, in os Energumeni impoſuit idem Præſul: quam tametſi initio recuſans, tandem admiſit, nihil edens vocis, licet admodum interpellatus. *Ruta expiata.*

CAP. 24.

Productæ quoque ſunt reliquię ex eodem illo cœnobio: Caput nimirùm Diui illius Gregorij Magni Papæ, eius nominis primi, vnà cum capite Diui Medardi Nouiodunẽſis Epiſcopi, eius cœnobij patroni & propugnatoris. Eas Flobertus Franciſcanus Energumeni capiti apponebat. Quas vt ſenſit ille, ſubitò grauiter eſt agitatus, vociferans ſæpiùs, & rogans, vt tollerentur. Aliæ præterea reliquiæ traditæ Theologo, vt pectori admouerentur. In quibus fuerunt Diui Sebaſtiani caput, ab eius loci cœnobitis allatum, & Diuarum Cæciliæ, Vrſulæ & Lucianæ reliquiæ, Diuique Cyri, omnes allatæ è cœnobio Diui Ioannis à vineis nuncupato. In Theologum ſpiritus nefarius incandeſcens, vultum horridum & terrificum oſtentabat, tranſuerſis & emiſſititiis oculis obliquè agitatis. Itaque ad oculos Energumeni, *Venerandæ reliquiæ applicatæ Energumeno.*

caput Diui Sebaſtiani appoſuit, cuius ille cõtactũ putidũ exclamabat, glaciẽ tantam à ſe amoueri poſtulans: qua videlicet immodicè ſtringeretur, Diui Martyris viribus diuinam quãdam vim per reliquias fundentibus. Altera manu, beatarum virginum oſſa ſuper ſtomachum & ventrem admouebat. Intumuit igitur, & toto capite ſtillare & diffluere cœpit, quaſi tum vindicata Dæmonis ſceleratiſſimi impietate, qui hæreticorum opera, tot ſacratiſſima Diuorum monumenta fœdarat aliquando, & iniquiſſimè olim antea diruperat.

CAP. 30.

Poſthæc Reuerendus Præſul ad exorciſmos rediit: quorum primus fuit iuxta formam Enchiridij Romani. Tùm cruces ſignatæ ſunt in eius frontem & pectus, quarum vi ſpiritus nefarius recedebat, quaſi extimulatus, & lancinatus, velútque frõte inciſa penitus adactus. Qui cùm vicies peruelli & pungi iam eſſet viſus, tãdem tamen obduruiſſe creditus eſt. Non ſtatuerat videlicet Deus Opt. & maximus, vt tam facilè egrederetur, maius quiddam volens edere, nóſque docere, ſe pro arbitrio ſuo acta noſtra moderari & regere.

Cruces factæ, & vis earum.

CAP. 31.

Ad eas cruces, & orationes illi additas, acceſſerunt factæ interrogationes. Inuocata ergo ſanctæ Trinitatis maieſtate, Reuerendus Præſul ſpiritui nefario imperauit, vt nomen ſuum palàm ederet. Qui mox reſpondens, Bonnorius, inquit. Sic enim Latinè iam expono. Deinde, quiſ-

Nomen Dæmonis.

de, quiſnam ipſi magiſter eſſet aut præfectus, interrogatus, Beelzebub dixit: quæſitaque poſſeſſionis cauſa, auũculum qui arietem eſſet furatus, reſpondit. Quo reſponſo audito, Mendax eſt, ait Theologus, nec poteſt hæc eſſe vera huius poſſeſſionis cauſa. Itaque Præſul interpellare non omittẽs, ſed vrgens atque inſiſtẽs, rogat quando emigrabit, & quid ſigni dabit. Ille ad ea reſpondens, Hodie, inquit, emigro, nullo dato ſigno: & quod ad tẽpus attinet, ſat ſit vobis, quando ipſe loquor. Tertioque ita interpellatus, renuit aliud tũ effari. Rogãte deinde Pręſule, quanã parte egrederetur, Per vitreã feneſtrã, inquit, maximãque illã oſtendit feneſtrã, quæ poſita eſt ponè altare, eam ſe ſuo tranſitu perforaturũ dicens. Et cùm reſpõderetur in ea iam foramẽ patẽre ad exitũ, reſtincturum ſe cereũ dixit, certũ tamen deſignare & effari recuſans. In exiguum autem quendam cereolum expiatum poſtea ſufflans, quem quiſpiam manu proximè tenebat, neque tamen ab eo reſtinctum, At ego verò, inquit ſufflaui in eum, abeo. Cui ſic locuto reſponſum eſt, eum cereum non eſſe reſtinctum. Atque hæc quidem in tam impudentem impoſtorem, ex eo, quem diximus, codice. Pòſt, Reuerendus Præſul, qui & valetudini & ætati nõ parcebat, alias ſumit adiurationes, iuxta veterem formam inſertas Sacerdotali Romano Venetiis excuſſo. Iterũ ergo in frontem & pectus Energumeni cruces delineatæ, quæ ceu tela acutiſſima, non ſine apertiſſimo cruciatu iactæ ſunt. Publicè etiam

Et eius magiſtri.

Adiurationes.

Cruces delineatæ efficaces

D

tum interdixit Reuerendus Præſul, vt nulli alij è ſpiritibus impuris prodirent opem laturi in hoc ſuſcepto tam hoſtili grauique certamine.

CAP. 32.

Deinde rurſum, vti iam antè factum erat, nomen interrogatur. Et Bonnorius appellor, inquit. In qua nominis appellatione denuò interrogatus perſeuerauit. Tempus autem emigrandi, meridiem dixit: verùm ſe nihil ſigni editurum. Toties & tam perſeueranter edito nomine, iam præterea inquirendum id non eſſe monuit Theologus, ſed cur eum torquêret adoleſcentulum. Nam mendacium eſſe, quod de auunculo eius reſponderit, neque eſſe credibile ob crimen torqueri, cuius non fuerit particeps, & cui non conſenſerit. Itaque Reuerendus Præſul, diuina illi autoritate & virtute allegata, illic imperauit, vt verè & enucleatè diceret, cur ita eum diſcruciaret: an aliqua eius culpa, an verò parentum. Ille tum eximiè diſtinctis & articulatis verbis, atque ad intelligendum facillimis & apertiſſimis, Ob tui Domini gloriam, inquit. Eo reſponſo delectatus eſt vehementer Præſul, ſimulque totus conuentus, qui aderat auditor & ſpectator. Nec minore perfuſus eſt lætitia Theologus, qui ad populum exclamare cœpit, & Laurentium precibus omnium commendare: Id quod iam antè fecerat tempore exorciſmorum, exponens hæc omnia ad Dei

Tēpus emigraturi Dæmonis.

Vera Energumeni Laur. cauſa.

gloriam fieri. Atque vt id ad omnium aures latè perueniret, iterum rogatu Theologi, Præſul Reuerendus iuſſit ſpiritui, vt planè & palā reſponderet. Itaque mora nulla, ac ne minima quidem vel addita vel imminuta ſyllaba, disertè & elata voce dixit vt priùs, Ob tui Domini gloriam.

CAP. 33.

Deinde meridie emigraturum ſe eſſe, vti antè dixerat: de ſigno verò interpellatus, Sat eſt, inquit; vbi emigraro. Theologus tum ad populum voce edita, omnes eſt adhortatus, vt in genua procumberent, oraréntque pro præſenti Energumeno. Demiſſis igitur omnibus in genua, Reuerendus Præſul ſignum exitus ei imperauit: & vt ita exiret, ne vnquam in poſterum vllis ſe hominibus admiſceret, ſed præceps iret ad inferos, ſedem videlicet ſuam, & ſuum àc certum domicilium. Quamobrem velut tum in anguſtiſſimo oppreſſus articulo, cùm tergiuerſari non daretur, ſic eſt locutus: Cùm Album Laurentio porrigetur, ſi acceperit, euolabo: ſin abnuet, non emigrabo. Eo dicto, ſummè omnes & attoniti & læti extiterunt. Theologus quoque non mediocri animi ſpe & alacritate eſt affectus, intelligens hæc omnia fieri ad confirmandam ſacroſanctæ Euchariſtiæ vim & veritatem. Itaque ad aram conuerſus Reuerendus Præſul, ſacroſanctas petit hoſtias, ſubſeruiente ipſi Ioanne

Signū emigraturi Dæmonis.

Pinſonio Canonico, qui dexter aſſiſtebat, & ſumptas in patenam imponit, atque ad Energumenum accedit. Sceleratus verò ſpiritus vſque eò attonitus manet, vt velut nequam ac nihili ſeruus, criminis & culpæ reus, herum venientem obſeruet, agnoſcatque, & tamen metuat citò in ſe animaduerſurum. Sumptam ergo hoſtiam profert Reuerendus Præſul, & immittere in os Laurentij conatur: qui adeò commouetur, vt vix vlla ratione id fieri poſſit. Sed attentè ac diligenter Theologus verba callidi cacodæmonis antè notarat, & memoriæ mandarat, qui ſe non emigraturum dixerat, niſi Album ille ſumeret. Quamobrem fretus ipſe diuina clementia & gratia, duos offert ſuos digitos ſacratos, in os Energumeni. Quibus dum cedit ille, atque os aperit, Reuerendus Præſul ſacram hoſtiam in os imponit, quam ſtatim lingua viuida & vegeta excipit, quaſi ad eam ſuſcipiendam diuinitus comparata. Verùm manu eius inde reducta, ſpiritus nefarius conſputare, & in ſacratam hoſtiam cupiens inhalare, capite & ore turpiter commoto, ſeſe agitabat. Quare Theologus ei labia occluſit, cùm interim turgeſceret ipſius facies, buccæque inflarentur, ad expuendam eiiciendámque diuinam hoſtiam. Ita manu vtraque iniecta in eum, ore & naribus eſt conſtrictus, quanto quis ſpatio Dominicam orationem & Salutationem angelicam ter proferret. Certamen ibi grauiſſimum licebat intueri, atque id introrſum clauſis ianuis commiſſum, inter Chri-

Sacrata hoſtia in os Energumeni impoſita.

ſtum ſeruatorem propugnatorẽque noſtrum, & hoſtem humani generis capitalem. Qui nimirùm hoſtis, velut nefrens, tum ſuffocatione oppreſſus, grunnitum edebat, muſſitabatque nonnunquam velut canis latrans audiebatur, cui detrahitur è tergo cutis. Eiuſmodi verò ſpectaculum Reuerendo Præſuli lachrymas excuſſit, rem tantam admiranti, ſtupentique, & rei nouitate velut muto & elingui. Neque pauci etiam eius cœtus eodem affecti ſunt ſtupore, & rei tam nouæ admiratione. Theologus igitur talis victoriæ cupidus ſuprà quàm dici queat, affectúque impulſus incredibili, & velut entheos, aduerſus refractarium ſpiritum in hæc verba ex tempore erupit, Da gloriam Deo viuo & vero: da honorem Ieſu Chriſto, & eius corpori ſacratiſſimo, quod eſt in ſacramento altaris. Quod cùm tertiò repetiiſſet, ſubiecit: Cede Deo, cede Chriſto, cede eius corpori ſacratiſſimo. Cede eius Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ, vt omnes vnum ſint, & omnis terra adoret eum, & pſallat ei.

Dæmon grunnit & latrat.

Cap. 34.

Finitíſque eiuſmodi verbis, quæ ſanè non ſine diuino inſtinctu improuiſo venerant in mentem, ſceleratus ſpiritus cum voce ſurda, & irarum plena in eum verſus, ſe opprimi & ſuffocari querebatur, petens quo ſe meatu vellet emigrare. In os enim & nares Energumeni manus comprimebat, adeò vt ægrè reſpiraret, monentibus interim non-

nullis ſuffocari eum poſſe, qui liberum ſpiritum nec duceret, nec hauriret. Id tamen negabat Theologus, ſpiritu ac viribus adoleſcentulum ſatis valere aſſerens, & hanc vocem, quæ ſe ſuffocari quæreretur, Dæmonis eſſe vocem, non Laurentij, quæ nimirùm petierit quanam parte, quóque meatu emigraret.

Diſceſſus Dæmonis e corpore Laurentij.

Morem tamen eis geſſit, digito ab altero naris meatu amoto, vnde fumus illicò erupit tenuiſſimus, quaſi ſpiritu impuro adoleſcentulum omittente. Sentiens itaque tumorem remitti Theologus, & intelligens ſumptæ Euchariſtiæ ſpecies iam conſumptas eſſe, manus ad ſe recipit. Atque ea quidem noua & miranda viſa eſt contentio, in qua nihil ſibi humanæ vires arrogent, ſed tota illa diuina & virtus & victoria vni Chriſto aſcribenda eſt, cui tam proteruus tandem ceſſerit aduerſarius. Poſthæc Reuerendus Præſul, vt ſumma eſt humanitate & comitate præditus, manu adoleſcentulum prehenſauit, rogitans vt valêret. Ille ſtatim inflexo vtroque genu, demiſſus in terram, & belle ſe habere dixit, & laudem Deo tribuit, ſumptóque in manus cereo ſacro, gratias ei egit immortales. Auunculi eius duo, atque amita & mater, qui ſe omnes, Theologi monitu, compararant ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, alias quatuor ſacroſanctas hoſtias, Reuerendi Præſulis manu porrigente ac tradente acceperunt: neque tamen id ſine lachrymis, ob immenſum atque ingens gaudium, quo afficiebantur, cùm interim pari omnium læ-

Liberatus Laurentius gratias agit Deo.

titia Canticum Diuorum Ambroſij & Auguſtini publicè à Clero diceretur, in tam iucundo rerum exitu, & ſumma omnium, qui adeſſent, admiratione & alacritate.

Cap. 35.

Reuerendus autem Pontifex, qui conceſſerat in cœnobij veſtiarium, vt peractis his omnibus, Pontificio ſe cultu exueret, poſt actas Deo Opt. Max. gratias, in chorum ad Clerum & cœtum eſt reuerſus. Quo præſente, velut ordinis totius duce, regreſſus omnium, ordine & ritu, quo venerant, eſt ad vrbem hanc inchoatus. Itaque vnis animis ſimul proceſſimus, ad Diuorum Geruaſij & Protaſij auguſtiſſimam ædem remeantes, ibidem, poſt Reuerendum Præſulem, gradiente Laurentio, qui manu cereũ accenſum geſtabat. Quod profectò ſpectaculum, omniũ oculis periucũdum fuit, innumerabili hominũ multitudine campos & vicos opplente vndique, & qui ſummo omnes tenebantur deſiderio videndi adoleſcẽtuli: Quorum alij rogatum accedebant, an planè ſaluti & incolumitati eſſet reſtitutus: alij tãtùm laudabant, extollebántque miraculum: & alij Hugonothos atque atheos execrabantur, diríſque deuouebant: quos malum omen, infauſtiſſimúmque auſpiciũ dicebãt eſſe, & quorum non tantùm falſa, ſed nulla omninò eſſet religio, quippè qui nec de Deo, nec de Dæmonibus verè ſentirent, nec fidem haberent in rebus tam compertis, & cæcutirent in approbata veritate ſacramenti altaris.

Reuertitur cœtus ſolẽni ordine & ritu.

CAP. 36.

In eo autem adeò conſpicuo miraculo, & hoc quoque mirandum eſt, adoleſcentulum perinde conualuiſſe, ac ſi nunquam ægrotaſſet poſt tot labores, tótque notiſſima tormenta, quæ ipſo die perpeſſus erat. Quo quidem die verbum hoc ab eo dictum eſſe notatum eſt, matre & amita audientibus: Maximo ſe tunc ſolatio & gaudio eſſe affectum diuino munere, nec credi poſſe aut concipi ab vllo, quantum id apud ſe eſſet gaudium & ſolatium. Clariſſimum ſcilicet hoc erat argumẽtum virtutis admirandæ ſuſcepti ab eo ſacramenti, tametſi cùm ſuſciperet, carebat certo animi iudicio & ſenſu, & in tam turbata & afflicta mẽte, fides in eo ceu ſepulta iacebat, nullo tunc edito ſui opere. Et quid quæſo igitur hîc loquentur noſtri tẽporis νεωτερισταὶ, cum ſua, quam prædicant, fide actuali, cui maiorem quàm verbo Dei virtutem tribuunt? Videãt, ac reuocent in animum, quid hîc effectum ſit: & hunc ſciant atque exiſtiment Dæmonem in adoleſcentulum inuaſiſſe, quò doceantur, atque intelligant iam conuictam & confutatam ſuam eſſe peruerſitatem. Id quod certè facilè animaduertetur, ſi quis ſedulò & pacata mente totam perpenderit hiſtoriam. Verùm ſatis ſit hôc loco hæc paucis è Theologorum fontibus delibaſſe.

Virtus ſacramenti altaris.

CAP. 37.

Inſecuto proximè ſabbato, vt certius firmiúſque robur adoleſcentulo adderetur, contra

veteratoris improbi & callidi oppugnationes, de conſilio Theologi, iterum Chriſti corpore ſuſcepto, cum ſuis eſt communitus. Nouum enim hoc & certum iudicium ac ſymbolon fuit receptæ ſanitatis: recénſque & vberrimum ſolatium, cùm ei, qui tantum munus accepiſſet, tum his etiam qui accipientem piis animis contemplabantur.

Euchariſtia neceſſaria liberatis Energumenis.

Cap. 38.

Atque hîc quidem huius primæ hiſtoriæ eſt exitus, & ſyncera tanti miraculi à nobis commemorata veritas. Quo in miraculo potentiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuo corpore, in panis ſpecie, victoriam obtinuit, & de proteruo & inſolenti hoſte triumphauit. In ea verò tam celebri pugna, quaſi antecurſores & velites fuerunt, Cruces, Preces, Aqua expiata, & venerandæ Diuorum Diuarúmque Reliquiæ, videlicet Martyrum, Confeſſorum & Virginum: omnes pro Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana ſtrenuè agentes, aduerſus hæreſes noſtræ Galliæ, & tot huius ſæculi ſcelerata & impia monſtra. Quocirca maximas Deo gratias omnes agere debemus, ac eo quidem imprimis, quòd redemptor & liberator noſter Chriſtus voluit ipſe in certamen venire, & poſtremam in hoſtem impreſſionem facere: hoc facto potentum, & eorum ſegnitiem arguens, aut ad ſe potius imitandum ſtimulans, quorum eſt hæreticis ſe murum pro domo Dei opponere, atque Eccleſiam Catholicam & Rom. ſtrenuè defendere. Habes itaque, ſtudioſe

Lector, prima fuerit de hoc noſtro infeſtiſſimo hoſte apud Sueſſiones hoc anno victoria, de quo laus & gloria eſt tam inſignis reportata, trophæúmque & monumentum victoriæ merito conſtitutum, eiecto profligatoque è miſelli hominis corpore non contemnendo aduerſario. Res eſt apertiſſima, & notiſſimus etiamnum viuens incolumis adoleſcentulus, qui, cùm vrgeret vexarétque hoſtis improbus, mẽtis iudicio non potiebatur: & ſe tamem præſentem Chriſtus patefecit, atque hanc rem geſſit memorandam, cum maximo & certiſſimo in animis omnium ſolatio. Hæc ergo eſt, ô Antiſtes optime, prima ſuſceptæ à nobis deſcribendæ hiſtoriæ hypotheſis, quam tibi, vt ſequentes alias, conſecramus, in adoleſcẽtulo ad hunc vſque locum verſata, cuius cauſa Chriſtus ſub ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſpecie fortiſſimè dimicauit. In qua quidem dimicatione hoſtis vel nolens, Deo cogente, teſtatus eſt in id ſe veniſſe corpuſculum, ad Dei gloriam illuſtrandam. Quamobrem liberè nunc dicã, vt valeant abeántque longiſſimè, qui contraria ſpargunt dogmata, quíque Dei Eccleſiam diſſecant in partes, & tam indignè diſtrahunt, errorum & ſchiſmatum zizania nocentiſſima aſpergentes. Inimici planè homines, qui fidei ortodoxæ doctrinam tentant corrumpere, vſum & cultum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ignorantes, quam ſumma ſua impietate contaminant. Neque enim dubium eſt ſanis mentibus, quem ad finem relicta à Chriſto ſit Euchariſtia:

In hereticos & ſchiſmaticos.

& quæ ſanctiſſimorum Patrum de illa ſit ſententia, qui verba ab Euangeliſtis etiam ſanctiſſimis, Matthæo, Marco, Luca & Ioanne vſurpata, & à Paulo poſtea repetita, diuino afflati ſpiritu verè intellexerunt: in quibus & carnis & ſanguinis Chriſti eſſet pura & certa veritas, nullo fictitio, & è Rhetorũ ſcholis ineptè impiéque accerſito tropo.

AD LECTOREM.

Sequitur eiuſdem Laurentii iterum Energumeni alia diuina liberatio, vi ſcilicet ſacroſanctæ Eucharistiæ facta, Sueſsione, Anno Domini. M.D.LXXXII. *octauo Calend. April. Quæ ſequenti proximè hiſtoriæ de Nicolea Energumena ideò hic anteponitur, quòd in eandem cadat perſonam Laurentij.*

IDEM LAVRENTIVS.

CAP. I.

Superiore peracto certamine cum pugnaciſſimo & callidiſſimo hoſte Bonnorio, aliud certamen cum nouo nec minus feroci aduerſario ſubeundum fuit, eodem quoque anno M.D.LXXXII. & octauo Idus Februarij, poſt elapſos à parta victoria dies viginti, aut paulò admodum plures. Res autem ſic habet. Rus è vico ſuo Andignicurto prodierat idem ille Laurentius cum puellis duabus, altera ipſi ſobrina, annos propè quindecim nata,

altera annos octo vel noué: & cùm prodirent, tempus erat pomeridianum. Pergebat in agrũ ad carpenda rapicia, vt ſibi iuſculum aliquod conficerent & condirent. Qui dum poſtea in napina colligendis in cibum foliis ita occupãtur, ecce repentè & inopinatò apparet viator ad eos accedens. Humero geſtabat ille enſem, cui & ad zonam quatuor pendebant exigua marſupia. Et vt propior factus eſt, primùm ecquid agerent rogauit: atque vt bonus ac frugi paterfamilias, monere cœpit, vt à floccis & gemmis carpendis cauerent, ne ſementem etiã ſimul carperent & aſportarent. Quod ſe facturos ſumma illi diligentia & fide reſpondẽt, nec quicquam ipſi agro & napinæ incommodi allaturos. Inito ergo eiuſmodi inter eos colloquio, deinde rogare viator inſtitit, quà iter eſſet Sueſſionem, quaque Conciacum, Nouiodunum & Compendium. Quibus quidem notis vrbibus, & vicos ruſticos addidit, Troliacũ, Nancelium, aliaque vicina illic quædam loca. Viam illi è veſtigio commonſtrant quam ipſi noſſent. Itaque digreditur viator, & mox euaneſcit. Sed pauculo interiecto tempore venit aſellus quiſpiam, cuius tergo Columbus candidus inſidebat. Qui tamen vt acceſſit propiùs, nouam induit formam, iam vetulus quidam vir ex aſino factus, & apparens tum canitie plenus, leucophæáque penula, pro more ruſtico amictus, qui nunc viridi colore in eo ſplendeſcente, nunc violaceo ſpectaretur, velut Proteus aliquis in nouas ſeſe commutans formas:

Primum ſpectrum viatoris ſpecie.

Secundum ſpectrum aſelli ſpecie.

Et vetuli ſpecie.

Laurentióque appropinquans, ceu quidpiam arcanum proditurus, eius humerum contingere conabatur. Sed eo recedēte, vbi ſe contemni & reiici videt, ad nugas & colloquia quædam ſe conuertit. Togam ei eſſe pulchellam domi commemorat: rogatque an non venalis ea eſſet, & quanto pretio venderetur. Ille venalem non eſſe dicit, nec ſua id intereſſe. Rectè, inquit ille: & iſto quidem te munere donauit Epiſcopus Sueſſionenſis. Simul addebat ſenex garrulus peſſimum & iniquiſſimum illum eſſe Epiſcopum, qui iam ad diem viceſimum ſe excruciare non deſineret. Id dictum rapuit adoleſcentulus Laurentius, quaſi is Dæmon aliquis eſſet, & qui mulierem apud Nancelium miſerè torquêre vulgò diceretur. De qua ſanè muliere, tertia huius inſtituti erit hiſtoria. Vt ergo ſe internoſci ſenſit ille, & paruipendi ab eis, omiſſo colloquio, & depoſita ſenili ſpecie, Paſſerculus eſſe cœpit: qui circomuolitans nec capi potuit, & leuiſſimè auolauit: denique & in fumum tandem conuerſus, altero inde iactu arcus, prope caſtaneam arborem elatus ſurſum penetrauit in aëra, cum flamma inardeſcente. Sed & nouum atque aliud ſpectrum poſtea ſe obtulit: Vir ſcilicet nigricanti colore, armis vndique inſtructus, & ad eos veniens: cuius vox, crebra ſalutatio fuit, neque tamen quicquam tum terroris afferens. Quem dum minor natu puella oculatiùs contemplatur, videt hominem eſſe equitem, & tali galero caput contectum, qui campanæ aut mitræ ſpeciem

Et paſſerculi ſpecie.

Euaneſcit Dæmon.

Tertium ſpectrum viri ſpecie.

referebat: auſáque eſt his verbis eum alloqui puella: O tu, qui ferreum capitium eiuſmodi habes, fac vt tua nunc ſonet campana. Ad eum ſermonem ille velut ſtimulatus, equum ſtatim cœpit calcibus ſubagitare, ex cuius aluo quendam velut campanæ ſonitum excuſſit: ac dum eos tempus tandem admonuit vt domum repeterent, ſemper adequitantē à tergo eum habuerunt, cum ſua illa ſalutatione non intermiſſa. Neque tum viciſſim reſalutantem puellam æquo animo tulit, ſed ſibi ſalutem reddi cupere ait, ab eo qui nigrum gereret galerum: Laurentium videlicet deſignans, qui vt reſalutaret, animam inducere non potuit. Itaque miſeram ille vocem & extremam fundens, ad inferos ſe tum dixit pergere, nulla inde remeandi ſpe. Dumque hæc interea ſic loquitur, & eos conſectatur, tandem diſcedit: & in ea agrorum latera diuertit, quæ ſunt incultiora, pueris eum attentiſſimo intuitu proſequentibus, donec tandem in opaciſſimum fumum euaneſcit, cū triplici audito tonitru, ceu vehementiſſimæ cuiuſdam machinæ bellicæ ſono. Sed hæc ſatis ſint hoc loco.

Euaneſcit Dæmon cum tonitru.

CAP. 2.

Quarto die, qui quartus fuit dies Iduum Februarij, mater & amita, ipſeque Laurētius iter ingreſſi ſunt ad Diuam Reſtitutam. Eo enim ſe voto mater aſtrinxerat, poſt illam iam à nobis enarratam ſuperiore hiſtoria liberationē. Quo quidem in itinere nihil admodum memorabile accidit, niſi quòd ipſe Laurentius, quaſi langués

Peregrinatio ad Diuam Reſtitutam.

defeſſuſque in gradiendo fatiſceret. I dque laboris Dæmon iníiciebat: quippè religionis & cultus Diuorum hoſtis perpetuus, & qui tum, vti poſtea prodidit, eius pedũ ſuffragines idcircò occupaſſet. Hîc ergo mihi perpẽde, ô Lector, quàm pium & Deo gratum ſit, iter ad Diuos colendos peregrinando ſuſcipere, cùm tam iniquè & tam inuidè iſtud ferant Dæmones. Ac ſi nullum aliud ſupeteret argumentum, vel vnũ hoc faceret ſatis, quòd publicus capitaliſque religionis hoſtis, eum laborem cultúmque diuinum, velut certum religionis opus, vſqueadeò aduerſatur. Sed de his antea: nũc ad reliqua huius hiſtoriæ.

CAP. 5.

Tertio Calend. Martias, qui dies hoc anno paſſim lætus fuit, ludiſque & comeſſationibus ferè inſumptus, plæriſque in locis, perſonatus ille hiſtrio cacodæmon iuuenem ſe quendam finxit & aſſimilauit, oſtiatinque mendicãtem. Nam ſtipẽ dolo emendicauit, oua nummóſque auferens, vt quicquam ſibi gratuito donaretur. Ac pòſt in œnopolium ſe contulit. Oenopola verò Andignicurti tum erat Simon à noua Eccleſia nucupatus. Bibit ille ſat ſtrenuè, & poſtulata primùm, vt nos vocamus, chopina (fortaſsè ἀπὸ τοῦ χέειν καὶ πίνειν appellata) bibit toties, ſibique tãtũ infudit ex eo tãtulo vaſculo, vt prodigii ſimile id fuerit, nec humani moris aut ingenii. Oua autẽ cùm nouẽ haberet, quæ cocta eſſe diceret mulier cauponæ, tria ipſe comedit, eadẽ recuſata, & nũmos quatuor, quos Liartos

Dæmon mẽdici ſpecie.

Chopina vini, vnde.

dicimus, eidem in ſumptum vini protulit. Quos tamen cùm mulieris mater vidiſſet, natam monuit, vt ſeparatè à ſuis eos conderet, quòd nihil fauſti de iſto homine iam augurare-tur, & permulta quoque ipſa vidiſſet geri à dæmone ſub humana ſpecie. Neque verò ſtultè id ſuſpicata eſt mulier. Etenim cùm Sueſſionem aduheretur Laurentius, ciſio impoſitus, ioculator ille & immodeſtus planè ſpiritus, commemorauit ſe paucis antè diebus in domum Simonis œnopolæ introiſſe, & apud eum etiã vinum bibiſſe. Aderat cùm hæc diceret, in eo comitatu Simon ipſe œnopola: qui vt mendacium certiſſimum reiiciebat: ac tandiu quidem eſt reluctatus, donec tandem res ipſa certiſſimis ſignis eſt comprobata. Aliud porrò commemorabat, quòd eodem quoque in œnopolio dixiſſet Nicolao Andreæ, eo præſente & audiente: hominem ſcilicet ſuum eſſe illum, ſociúmque, & eiuſdem ſcholæ condiſcipulum in aleæ iactu, ſimiliúmque ludorũ concertatione. Quod & Bonnorius, ſuperioris hiſtoriæ ſpiritus, perinde ſceleſtus, matri Laurentij antea quoque declararat. Neque ſolùm de Simone id prædicarat, ſed & de eius nato, quem ſimiliter aleatorem dicebat, qui ſæpius taxillis & eiuſmodi otioſis ludis tempus tereret. Sed ad hiſtoriam, quam inſtituimus.

Aleatores Dæmonum ſocii.

CAP. 4.

Primus cruciatus à nono dæmone.

Adoleſcentulus Laurentius artem, qua vitam tueretur, diſcebat apud Camelinum vicũ vbi rurſum vi morbi cœpit torqueri. Itaque mater

mater eum domum reduxit.

CAP. 5.

Et materno affectu eadem monuit, vt culpas animi apud ſacerdotem exponeret, in proximũ diem Dominicũ Eucariſtiæ ſacramentũ ſuſcepturus. Hîc igitur non prætermittendum, quid eo ipſo die verſutus ille ſpiritus egerit. Atra veſte indutus, cuiuſmodi quidem veſte ſolent apud ruricolas amiciri, quos vulgus Clericos ruſticanos appellat, in ædes auiæ ipſius Laurẽtij, velut hoſpes ignotus, clanculùm irrepſit. Erat autẽ mulier illa in lecto, morbo corporis afflictata, & ſola, & ſummo in ſilẽtio. Quæ hominẽ in medio conſiſtere contẽplata, rei nouitate ſtupefacta eſt: & tamẽ rogare eſt auſa, quiſnam hoſpes adueniſſet, & quid eo loco quereret. Ille verò nulla tũ voce edita, poſtquàm paululũ conſtitiſſet, tacitus diſceſſit. Idque ipſum poſtea idem Dæmon præſtigiator, cùm Laurentiũ torquêret, prodidit iiſdem verbis: & mulier etiam fictitia illa non eſſe, certo & ſyncero animo poſtea affirmauit. Sed ad cætera pergamus.

Laurentius ſacerdoti culpas confitetur.

CAP. 6.

Octauo Idus Martij apud auunculum Dauidem Galletum morbo recrudeſcente, miſerandum in modum diſcruciatus eſt. Humi enim abiectus iacebat, nec erigi, niſi ope aliena potuit. Itaque venit in mentem auunculo, qui ſpiritum ſceleratum eſſe opinabatur, cum his verbis aggredi. Nunc te percipio, ô capitalis aduerſarie, & intelligo tortorem illum eſſe

Secundus cruciatus.

ſpiritum. Sed ad ea continuò ille adiecit, Non eſſe ſe Bonnorium, quem exiſtimaret: nec antè ſe proditurum quis eſſet, quam album & farinam comediſſet. Hæc nimiùm tum ille: qui cùm paulum quiddam à torquendo conquieuiſſet, eodem die ad ingenium rediit. Quare ad matrem miſſus eſt ſobrinus illicò, qui recidiui morbi admoneret. Is ſobrinus balba erat lingua, nihil ſatis articulatè enuntians. De quo, cùm rediiſſet, ſceleratus ille ridere & cauillari cœpit, blæſo ſono & balba lingua ſermonem ſimilans, eadémque omninò verba repetens.

Album, & farina.

Cap. 7.

Deinde ſequenti die, hoc eſt, ſeptimo Idus Martij, delatus eſt ad ſacrum audiendum, cùm nullo modo vt pedibus iter faceret, perſuaderi poſſet. Atque in ipſo itinere iocari multa impudenter, & tandiu nugari, donec adoleſcentuli mater, tot fabularum pertæſa, nihil ſe iam fidei habituram cacodæmoni dixit: & omnem eius loquacitatem interrupit. Sed & hiſtrionem mimeticum effingebat inter ſacrum faciendum, dum Parochus ad populum ſuum concionaretur. Nam Parochi verba ludibundus imitabatur, eum interpellans, & auditorũ aures ſtrepitu intercludens.

Cap. 8.

Qua inſolentia & alio quoque die vſus eſt, nunc diſtortus, nunc intermiſſa ægritudine placidus. Quo tempore & iiſdem intemperiis actus, correpto bacillo, quo cerei extinguuntur,

Petulantia Energumeni.

diſcurrebat verberãdo, & ictus crebros in tergum cuiuſdam incutiendo. Neque verò pepercit linguæ petulantia nobilem illic mulierem proſequi, ac notare, quæ ad oſculandam, vt fit inter ſacrum, ſancti altaris patenam pergebat. Itaque flagris eum cædendum ipſa reſpondit mulier, eã quã edidiſſet vocem accipiens, quaſi ab homine, non à dæmone profectam.

Cap. 9.

Et aliquot etiam pòſt diebus, illatæ ſibi, vt cenſebat, iniuriæ memor, matri denuò dixit, coërcẽdam flagris eſſe effrænatam eiuſmodi & immoderatam licentiam: Nam perditum corruptúmque eſſe adoleſcentulum. Itaque mater & auia, vt ei gratum facerent, arreptis virgis, altero eum ac tertio ictu coràm cæciderunt. Quo quidem velut indigniſſimo facinore irritatior factus illicò ſpiritus, diuinámque virtutem blaſphema lingua nominans: Quia, inquit, vos eum cæcidiſtis, vſqueadeò contorquebo & conteram, tandiuque affligam, dum ad inſaniam compulero. Tanto ergo eum diſtorſit cruciatu, & tam longo atque horrido in omnium oculis ſpectaculo, vt ſit coacta mater inde abſcedere, cúmque in amplexu amitæ relinquere. Ac dum noctu filio accubaret, idem ille ſpiritus nefarius eam rogitare cœpit, an iterum natum ſuum aliquando cæderet. Quæ cùm ſe id facturam reſpondiſſet, nec quidpiam eſſe cauſæ cur nõ faceret: Si, inquit, rurſum eũ cædis, grauiores ab eo acerbioréſque pœnas repetã. Sed

Dæmon ab emendatione abhorret.

hæc ſatis ſint hoc loco.

CAP. 10.

Energumenus agitatus, dum exponitur Euangeliū. Beelzebul magiſter huius Dæmonis Ianeſſoni.

Decimoquinto Calend. Aprilis, qui dies Quadrageſimæ noſtræ tertius erat Dominicus, cùm Parochus Lucæ Euāgelij locum de Beelzebul Dæmoniorum principe populo ſuo publicè exponeret, & quæ Chriſto contumelia fieret, in aſcribenda eius virtute, arbitrio & imperio ipſius Beelzebul, eodem tum adoleſcentulus momento miſerè eſt agitatus. Nam & corollam precationis Dominicæ procul abiecit, & porrectum ſibi panem expiatum. Deinde ad Parochum verſus, tunc Euangelium interpretantem, Nimiùm, inquit, ſæpè tu magiſtri mei meminiſti: an non tandem ſatietas vlla te tenebit? Ille verò ait, ille inquam ipſe magiſter meus eſt. Quid ergo tu porrò habes, quod de eo nunc loquaris? Ita repentè loco ille relicto procurrens, tranſiit oſtium chori, illiſuſque eſt ad cathedram Parochi concionantis: quem tanto pauore concuſſit, vt vocem ei abrumperet, & concionis reliquū omittere cogeret.

CAP. 11.

Dæmon veſpæ ſpecie.

Dicam non incommodè hoc loco, quod circa meridiem ei accidit. Muſca grauior, ſiue illa veſpa, ſiue aliud aliquid, bombo ſtridulo edito in eum irruit, & aculeo, grauiter inflicto, corollam Dominicæ precationis, eius brachio à matre circumpoſitam, eripuit. Biduum ac triduum vibicis nota in eius cute viſa fuit. Corolla verò tam rapidè ablata, eò aſportata eſt,

quò nemini conſectari licuit:neque cognitum eſt, quorſum abrepta fuiſſet, niſi ſpiritus de illa ſacramento adactus, faſſus eſſet ſe tum corollam in ſępem Petri Andenſis ei loco vicini aſportaſſe, ibidémque fruſtatim indignabundè comminuiſſe. Sed reuertamur ad curſum inſtitutum. *Corolla precaria aſportata.*

Cap. 12.

Decimo tertio Calend. Aprilis, in templum deductus Laurentius, multis verborum contumelijs, antequàm ingrederetur, Parochum eſt adortus. Cuius veſtitum vt atrum cauillabatur, & indigniſſimo eum geſtu inſectans, Lanceareum eſſe ſtrenuum dicebat, & nugas ſimul ingerebat ineptiſſimas, vt interea tempus falleret. Parochus verò aſtutiam & tantam improbitatem non ferens, imperauit vt ingrederetur, idque Deum ipſum ita imperare dixit. Ita vel nolens introductus eſt. Acceperat autem mandatum Parochus, ſcriptis ad ſe literis per Andream Curtonium, arcanum ſcribam Reuer. Præſulis noſtri, vt periculum faceret, quibus poſſet modis, an rurſum hic adoleſcentulus à cocodæmone verè opprimeretur. Itaque publicè explicato eo mandato ad populum concionatus, omnes ad expurgandos animos adhortatus eſt, & ad pietatem toto ſtudio amplectendam, vt ſe comprecando adiuuarent, antequàm ad negotium ſibi iniunctum, aggrederetur. Ad quam exhortationem omnes in genua ante Ieſus Chriſti imaginem, vt orarent procubuerunt. Pòſt, lineam veſtem candidam

Dæmon nugator.

Mandatũ à Præſul ad Parochum.

Parochi officioſa o dientia.

ſumpſit,& ſacram ſtolam: quam forma crucis extentam in caput Energumeni adoleſcentuli ad eum adducti, impoſuit:deinde Diui Ioannis Euangelium, cuius initium eſt, *In principio erat Verbum*, recitauit. Quo finito, omnes vna animorum conſenſione, opem diuinam inuocarunt: Itémque beatiſſ. virginis Mariæ, & Diui Medardi eius loci patroni, ac ſemel omnium Diuorum ac Diuarum. Certa enim ſpe freti erant, tanto, precantium numero eſſe ſe exaudiendos, & procul dubiò cognituros, an reuera Dæmon eſſet, qui eum tantoperè cruciaret. His igitur tanquam fœliciter iactis fundamentis, circiter horam octauam matutinam, ipſe Parochus, antequàm Miſſæ ſacrum iniret, hoc imperio in ſpiritum, Latina lingua eſt vſus: In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis tibi impero, ſpiritus immunde, quiſquis es, vt apertè hîc exponas, quę cauſa ſit cur tu hunc affligas, torqueáſque adoleſcentulum. Cui imperio nihil ſe paritutum reſpondens, ad contumelias pro ſuo more confugit, ſceleſtum appellans Parochum, omneſque adeò ſacerdotes, quos deteriores peioreſque eſſe magiſtro ſuo Satana dictitabat. Nihilo tamen factus his mollior aut imbellior ad pugnā hanc Parochus, idem imperium in eum repetiit, nullo nec addito nec imminuto vocabulo. Itaque tū velut ad vinū refectus, plagaque introrſum altiùs incuſſa, Satis, ait dæmon, cogitabam & coniiciebam, ô ſceleſte,

Inuocatio Sanctorum.

Parochus imperat Dæmoni.

Dæmō contumelias obiicit.

te iſta in me eiaculaturum. At enim mihi protinus aufer iſtud lorum, inquit. Tali enim vocabulo, ſacratam ſtolam appellabat. Et iſto ſe enecari loro aiebat: ſeque vlturum aliquando. Cùm tertiò eidem imperaſſet Parochus, reſpõdit ſe quod peteret, non dicturum ei, ſed alteri, qui eo maior & præſtantior ſit. Neque verò his contentus reſponſis, Energumenum ſuum ad morſus incutiendos excitabat, & ad proculcandum eum pedibus iniectis: ſæpiùs quoque inclamans vt lorum iſtud auferret, hoc eſt, ſtolam è collo abiiceret. At Parochus parendum eſſe ei dixit omnipotenti Deo: nihilque habere ipſum Dæmonem imperij. Atque hoc quidem genus colloquij hactenus. Laurentij mater, quæ Latinè toties imperantem Parochum non intellexerat, rogauit, an non coëgiſſet nomen ſuum edere. Neque obſecrare deſtitit, donec nomen eſt percontatus. Sed in primo ſibi facto imperio, ſe ridiculè *Leſchiffeum* nominauit. Quod reſponſum vt fictitium & commentitium ille non admiſit, inauditum & incredibile eſſe huiuſmodi nomen aſſerens. Itaque tertiò eſt adactus, vt nomen ederet. Primùm igitur ſat exili voce *Lanneſſonum* ſe vocauit. Quod nomen & iterum ab eodem editum eſt. Denique & & tertiò, alta voce, & in omnium aures penetrante, ſe, vti antè, nominauit.

Stolam, lorum appellat.

Dæmon Lanneſſonus appellatus.

CAP. 13.

Tandē perfunctus iniūcto ſibi munere Parochus, cùm certò exploraſſet vexari adoleſcentulum ab immundo ſpiritu, ad ſacrū faciendū ſe contulit. Sed inter preces ſubitò interpellatur, cùm ei renunciatur adoleſcentulum miſerè torqueri, & aluo diſcruciari imprimis. Quamobrem luſtrali aqua eſt aſperſus: quæ dæmonem quidē aluo abegit, ſed qui ſe in extremū pedem receperit, nō ſine incredibili ſenſu doloris. Tāto tamen poſtea ſtudio omnes Dei præſidiū inuocarunt, vt aſperſa iterū luſtrica, valetudini & incolumitati ſit planè reſtitutus. Deinde coram Deo proſtratus, inflexúſque in genua, toto durante ſacro, placidè ſe habuit, coniunctis manibus pietatem & religionem animi teſtificans. Atque hæc quidem extra hanc vrbem geſta ſunt.

Aquæ luſtralis vis.

SECVNDA PARS
huius hiſtoriæ.

CAP. 1.

NVNC ergo tandem ex agro in vrbem veniamus, & ea quæ Sueſſione hac de re tractata & peracta ſunt, exequamur. Anno eodem Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, iterum in hanc vrbem Sueſſ. Laurentius eſt adductus, XIII. Cal. April. idque de Parochi conſilio. Comites fuerunt mater, Adriana Galleta, Dauid Galletus auunculus, amita Claudina Galleta, & Simo à

Laurentius Sueſſionem adducitur.

noua eccleſia nuncupatus, qui ſuo impoſitum ciſio eum aduehebat. Vrbem ingreſſi, rectà ad Epiſcopeum profecti ſunt, rati ſe ibi Reu. Præſulem reperturos. Sed ad Diui Stephani cœnobium Virginũ ille ſeceſſerat, in quo inſtaurando & extruendo nulli parcit impenſæ. Id enim funditus Hugonothi diruerunt, cùm hãc vrbem totos ſeptem menſes, vi & armis ſuperioribus bellis occuparunt. Itaque abſentem Præſulem in vrbe præſtolati ſunt. Sed irrequietus interea ille ſpiritus, linguam verſans adoleſcentuli pro arbitrio, ad dicacitates & varia in omnes ſcommata tum exacuebat. Metuere ſe tamen Præſulis reditum non diſſimulabat, cùm ſpeculari faceret, & explorare an aduentare videretur.

Cœnobium Religioſarũ D. Stephani.

CAP. 2.

Tandem autem venit Præſul, poſtquã cœnatus ibi fuerat, qui iam huius rei certior erat factus. Illi comitabatur cœnobij Antiſtita, eius fratris nata. Et vix propylea domus ſuę ingreſſus erat, cùm excurſor ille ſpiritus præoccupauit dicere, En lippus & lachrymoſus aduenit. Statímque in ipſo eius introitu, O, inquit, tibi dico aduenienti, qui necdum vllo exorciſmo fui abs te tentatus. Ad quam vocem Præſul, velut commonitus officij, & quid rogandũ primùm eſſet, Vbi ergo, inquit, tu qui hæc mihi iactas, latuiſti, quando Bonnorius ſacris adiurationibus vrgebatur? Ille, Latebam, ait, in nauigio quopiam, quò virgultorum faſces congerebantur, ſub ponte Diui Medardi. Deinde

rogatus eſt, quo nomine diceretur. Et, vt iam antea toties, Lanneſſonū ſe dixit. hæc tum ille.

CAP. 3.

Sed nec poſtea conquieſcere potuit tam prauus ſceleratúſque ſpiritus. Nam cùm idē adoleſcētulus in hortum Epiſcopei profectus eſſet, duodecimo Cal. April. circiter tertiā pomeridianā, diro iterū cruciatu eſt afflictatus. Ore diſtorto erat ac deprauato, aſpectúque inſuaui, & futili atque odioſa garrulitate. Aderat ibi tunc vetula & proba mulier, Ioannis Cannarti Eccleſiaſtæ Theologi mater, de quo quidem Cannarto in ſuperiore hiſtoria ſæpè diximus: & quem etiam diuino inſtinctu, abdicatis omnibus bonis, ad Minimorum ordinem & religionem, priſtino mutato habitu, cultúque Canonici & Archidiaconi, ſe recepiſſe expoſuimus. Ei vetulæ, cui Nicolea nomen eſt, loquax ille ſpiritus dixit, Natum ſuum apud Pariſios mortuum eſſe. Qui ſermo primùm ænigmate non carebat, ſed propiùs deinde intuentibus factus eſt apertior, cùm non corporis ille mortem intellexerit, ſed quiddam mundo mortuum, deſignarit auguſtiſſimum illud vitæ genus quod elegiſſet, planè morti ſimillimū. Pòſt, addidit venturum illum non eſſe, vt ſe ſacramento adigat, ſéque id certò ſcire. Ita videlicet diſcurrebat ille, & vt ſic dicam, perreptabat, quocunque liberet euolans, & omnia perſcrutans. Ignotos quoque aduenientes, nominatim qui eſſent exponebat. Nam Petri Auenelli Sueſſionenſis Pręfecti puerum nunquam

Cruciatur Laurētius.

Diſcurſus Dæmonis & perſpicacitas.

à ſe conſpectum, aduenisse dixit, rem ſcilicet, & veriſſimam, & omnibus qui tum aderant, notiſſimam.

CAP. 4.

Poſtero autem die venit ad eum Pinſonius, noſſe cupiens, vt ea ſe nocte habuiſſet. Quem ad focum aſſidentẽ, & apud ſe quidpiã muſſitantẽ offendit, matrémque titiones igni admouentẽ. Ac dum aſtat, eum contemplans attentiùs, repentè ille & præter ſpem ceu lymphaticus, matri auerſa manu colaphũ impingit: & tunc in riſum & iocum ſolutus, ſeſe erigit, id ſuũ facinus admirans & iactans. Itaque illi Agnum Dei ad fauces Pinſonius admouet, venerandóſque cineres reliquiarum eius ori, vt oſculetur, applicat. Verùm ſe ſtrangulari & iugulari exclamauit, contactũ eiuſmodi refugiẽs, & ſceleratum inclamans, dicénſque Pinſoniũ, qui ſe enecaret. Deinde abire ſe teſtabatur. Ad eum modum ſe tum habuit, cùm nunc mente turbida & furiata agitaretur, nunc placidus eſſet, & nonnunquam ſaltaret indecorè: quod feciſſe eſt dreprehẽſus cum neſcio quo Marco, homine, vt credibile eſt, parum conſultò & modeſto.

Energumenus colaphũ matri impingit.

Sanctarum reliquiarũ vis.

CAP. 5.

Aduentantes prædicabat appropinquare, antequàm vllo modo perciperentur: & ad ſe in conclaue ingredientes ſic alloquebatur, quaſi agnoſceret. Notus hîc eſt Reu. noſtri Præſulis nepos, Dominus à Molli paſſu nuncupatus.

Ignotos nominatim ſalutat Energumenus.

Qui cùm magno eius videndi deſiderio teneretur, & ad eum veniret, vix in conclaue introire cœperat, cùm ille velut ſede & méte emotus, ad illum huiuſmodi verbis: Etiam hîc ades, ô craſſule & obeſule, A molli paſſu appellate? Ieiunaſti ſcilicet ſtrenuè, in panum aceruo aſſidens. Neque hoc ſatis ei fuit, ſed & adiecit, Putidum illi filium eſſe. Mirum verò id & tum habitum eſt, & etiamnum haberi debet, cùm neuter eorum alteri vnquam in conſpectum veniſſet.

Dom. à molli paſſu.

Cap. 6.

Cùm verò paulùm intermiſiſſet, ea ægrotatio eódé die, ſub veſperam eadem recurrit, cùm tunc ad eum viri probatiſſimi & non pauci cóueniſſent. Quorum in conſpectu, diuinæ autoritatis inuicta & ineluctabilis poteſtas perſpecta eſt: itémque ſanctarum reliquiarum diuina facultas, quibus diuina vis & cœleſtis gratia eſt inſita. Nam dum miſeris modis cruciaretur, & venerandæ proferrentur reliquiæ, varios diuerſóſque animi teſtabatur affectus. Etenim partim mœſtè, partim iocoſè loquebatur, cùm id perſentiſceret: & quandoque ſe enecari querebatur, quandoque ridiculum quiddam de vino à ſe exoluendo intermiſcebat, nunc diſceſſum ſimulans, nunc cum ludibrio quodá regreſſum oſtentás. Dici non poteſt, quàm verſatiles eius doli eſſent, & quantæ technæ, dum fabulis & nugis indulgêret. Fraudem verò ingenio ſuo ſcelerato faciens, in doloribus diutiùs immorari quærebat. Metuebat vehementer oratio-

Sanctarum reliquiarū vis.

nes ad Deum fuſas, quoniam malo à ſe illato certiſſimum eſſet medicamentum. *Oratio ad Deum moleſta Dæmonibus.*

CAP. 7.

Cuius rei proculdubiò hoc euidentiſſimum fuit exemplum, quòd hortante Ioan. Pinſonio, vt orationi vacarent omnes, qui fabulanti iſti irriſori aderant, cùm ſe ad obſequendum compataſſent, diſceſſu ille ſimulato, & intermiſſo cruciatu efficiebat, vt à precãdo reuocarentur. Itaque velut parta inde nonnulla victoria, paulo pòſt ad iocularia redibat, eiſque tum maiore fidentia illudebat.

CAP. 8.

Sed perpenſis eius toties repetitis ludis, omnes tandem in genua demiſſis animis procumbentes, Pœnitentiales Pſalmos cum Litania ſimul recitarunt. Neque tamen deſtitit interea miſellus Energumenųs grauiter inſolenter que vexari, & tã miſerãdo turpíque aſpectu diſtorqueri, vt horrori & terrori omnibus fuerit. *Diri cruciatus, dum recitatur, Litania.* Corpus eius perinde vt intortum aliquod vinculum, & vt reſtis inuoluebatur. Lingua trahebatur ad mentum exerta, vultúſque ſuprà erat horridus & metuendus. Se vociferabatur enecari, cùm preces accuratiùs funderentur. Et quanquam maximè impius erat ſpiritus, ſtanti tamen & muto inter cæteros cuidam puero ſic dixit: O inſignis laternarie, qui hîc aſtas capite operto & obſtipo, labiiſque immotis, dum alij congenulantes pro Laurentio comprecantur? Equidem arbitror, quiſquis ille puer fuit, ex eo eſſe genere, quod non admodum religioni &

precibus aſſuefactum eſt.

CAP. 9.

Sed & ad hanc, ſiue peruidendã, ſiue dignoſcendam & curandam ægrotationem, vocati quoque ſunt medici nono Cal. Aprilis. E quibus ſummè diligens fuit Ioan. Lyeuinus, vir & perdoctus & perbonus, qui ad eum contẽplandum; quanta poſſet animi ingeniique perſpicientia acceſſit. Qui vt in ipſo ſtatim introitu, ab eodẽ magnus ſalutatus eſt medicus, in veſtigio ſtetit, ſtupens & admirans, quî ſe ille adoleſcentulus noſſet, quem nunquã vidiſſet. Quãobrem nihil eſt vlteriùs progreſſus, & hæc ſibi iam ſat eſſe reſpondit. Nullâque mora inde abiens, nullo præterea conatu aut periculo eſſe opus aſſeruit in re tam perſpicua. Atque hoc quidem medici Lyeuini certiſſimum iudicium & teſtimonium.

Lyeuinus medicus.

Mira notitia Energumeni.

CAP. 10.

Venit etiam ad eundem Dominicanus, circiter quartam pomeridianam eiuſdem diei, & venit iuſſu Reuerendi Præſulis. Quem propiùs accedentem, repentéque animaduerſum, ſic cõpellâuit: Eho, tu hîc ades, ô monachi primordium, & quaſi quoddã præludium. Ecquidnam tibi eſt quod iam dicas? His verbis vſus eſt, quod olfaceret ſibi velle illum ſacratas Imagines opponere. Quamobrem voce elata ad eum iocosè, & tamen querulè profectò. eſt locutus, vas mero plenum pollicitus, ſi nihil ſibi iſtiuſmodi apponeret. Hæc videlicet, & ſimilia quę-

Iocatur Dæmon & ſimul angitur.

dam dicteria & nugatoria fundebat. Imagines tamen Dominicanus appoſuit, quanquam eo reluctante ac reiiciente, & clamore ingenti teſtificante ſe lædi vehementer.

CAP. 11.

Multo ergo acriùs inualeſcente morbo, Reuer. Præſul in genua ſe demiſit: cuius exemplum & cæteri ſunt imitati. Ac primùm ſeptẽ Pſalmi Pœnitentiales enunciati, deinde Litania, & orationes tanquam appendices illius: cùm non ceſſaret interim, ludius ille & cauillator improbus, qui obtrectabat & inſulsè obloquebatur, neque Pręſulis etiam parcens nomini. Nam lippum eum vocitabat: quem tamen ſceleſtus orabat vt ſe dimitteret, quòd tanquam à lanio pede aſtrictus porcus ageretur & compelleretur. Præſul verò non ideò intermittens inchoatas preces porrò pergebat, & cùm abſolutæ fuerũt, ad eũ eſt reuerſus: tertióque imperauit vt nomen ſuum ederet. Id nomen, vti antè fecerat, edidit: & ter ſe Lanneſſonum dici reſpondit. *Dæmon cauillatur etiam in Epiſcopum.*

CAP. 12.

Atque hæc quidem ita dicta, dum tam grauis & turbulenta ea animi ægrotatio tenuit. Rediit enim poſtea ad meliorem mentẽ, & ſe moneri à Reuerẽdo Præſule eſt paſſus: à quo & venerandas reliquias ſibi ad oſculum admoueri, modeſtiſſimè tulit. Eas verò reliquias tum attulerat Nicolaus Danius Archidiaconus & Canonicus Sueſſion. qui & Diuorum Criſpini & Criſpiniani Benedictini ordinis *Reliquiæ.* *Nicolaus Danius.*

cœnobij eſt Abbas: quique huic peragendo negotio frequenter & religioſè adfuit, corũ quæ à nobis cõmemorantur, teſtis oculatus & certiſſimus. Vt autem compertum haberet Præſul, an ex animo antea ille tam multa effudiſſet, percontatus eſt, cur ſe lippum & lachrymoſum dixiſſet. At nihil omnium memor adoleſcentulus, quæ ſuggerente ſpiritu dixiſſet, pudore affectus, in genua procidit, & ſtupens non mediocriter, cũ ſumma animi demiſſione & modeſtia, ad ſingula verba: O Præſul, inquit, venerande, poſtulo veniam, nihil iſtorum quæ rogas cõſcius. Da obſecro veniam, dolituro maximè, ſi quid ſciens & prudens eiuſmodi locutus eſſem. Atque hæc quidem placido & tranquillo animo.

Oblitus dictorum & factorum Laurentius

CAP. 13.

Noctu enim ſub horam decimã rediuiuus ille & reciprocus morbus iterum ſe prodidit, cùm adeſſet frater Robertus Bunayus Franciſcanus cum ſuo collega, & complures quoque alij adeſſent. Quo tempore, decũbens in lecto, & in auerſam faciẽ adoleſcentulus, tum mente emotus, deprehenſus eſt velle ſe ſuffocare, iam applicato ad os linteo, quo ſpiritum ſibi intercluderet. Qua re comperta, vel nolens, ab extremo vitæ periculo eſt vindicatus. Et hæc quidem eſt diuina ſummæ bonitatis clementia, de qua aliàs copioſiùs.

Dæmõ ſuffocare Laurentium adnixus.

CAP. 14.

Præſul Reuerendus in his rerum anguſtiis, cum votis omnibus cuperet hunc tam atroci-

bus

bus pœnis alleuatum videre Energumenum, octauo Cal. Aprilis, ſub horam quintam matutinam ad ſacrum faciendum venit in Diui Ludouici ſacram ædiculã, in Epiſcopeo ſitam. Sacrum ergo Pontificio cultu exornatus peregit. Deinde eo perfecto, omnes eſt adhortatus ad comprecandum toto ſtudio, quòd ea res magnoperè faceret ad propulſandos hoſtes, & ſedandos dolores. Eum quoque diem docebat eſſe, qui ſanctimoniæ animorum & pietati deſtinatus eſſet, venia publicè à ſummo & beatiſſimo Rom. Pontifice propoſita his qui paruiſſent: & iam mediam eſſe Quadrageſimam, quæ eò etiam inuitaret.

R. Epiſcopus ſacrum facit.

Adhortatur ad ſanctimoniam animorum.

CAP. 15.

Habita ad eum modum ea concione, accerſitus eſt adoleſcentulus, quem ſtatim morbo priſtino correptum Reu. Præſul ſacris petit atque vrget adiurationibus. Ac primùm Dæmonem eum torquentem adigit, vt nomen ſuum edat. Pòſt, vt exponat quonam ſit ex ordine, & ex qua legione depulſus à prima ſede cœleſti. Ille, cogente exorciſmo, ter interpellatus, ter quoque ſe eodem nomine, Lãneſſonum dixit. Et quod ad ordinem pertineret, ex ordine eſſe Satanico, atque è legione Beelzebub, quem magiſtrum ſuum nuncupauit.

R. Epiſcopus exorcizat.

Dæmon Lanneſſonu'.

Ordo eius.

Legio, Magiſter.

CAP. 16.

Denique & ſe ſolũ nunc eſſe in eo corpuſculo, qui cùm clàm aufugiſſet, dum Boonorius in Diui Medardi æde exorciſmis eſt appetitus, latuiſſetque interea ſub ponte, tamen in priſti-

num hoc domiciliũ tandẽ rediiſſet. Sciſcitatus porrò eſt Reuerendus Præſul, poſt auditum eius nomen, quidnam ageret, antequàm in hoc veniſſet immigraſſetque corpuſculum. Ille verò, vti antea ſæpè iam prædicarat ac docuerat quàm varius eſſet; & ſe verſutum & errabundum prodidit: & hîc quoque reſpondit vltrò ſe & citrò variis locis excurriſſe, cùm ſæpenumerò, vti iam diximus, ſtipem more mendicorum popoſciſſet: ac pecuniam aliquando, & nonunquam fruſtulum panis mendicando abſtuliſſet, interim ſæpiùs viridi veſtitu amictus: pecuniámque ſibi donatam recondere dixit quo ſciret theſauro. Hæc tum ille.

Hic Dæmon etiam mendicus fuit.

CAP. 17.

Sed & Latinè poſtea rogatus cauſam, cur inuaſiſſet in id corpuſculum, mentitus primùm matrem eſſe in cauſa, deinde id negans, neque culpam parentum eſſe dicens, tandem viſa Eucariſtia ſacroſancta, quam manu teneret Reuerend. Præſul, imperans eius virtute & maieſtate, vt verè cauſam ederet, cur hunc adoleſcentulum occupaſſet, clara & non infuſcata voce in hæc verba reſpondit: Ob gloriam Dei, & ad tollendos hugonotorum errores, vt vitam illi iuxta ſanctiones Eccleſiaſticas ad Catholicorum more ducant, cùm propoſitis iam tot ſignis, tamen non emendentur. Quæ ſanè verba ipſe ego, qui hanc Latinè expono & ſcribo hiſtoriam, planè & diſertè audiui, cùm Reuerendo noſtro Præſuli tum proximè adeſſem. Et ſimul innumeri alij audierunt, qui ſpectabant: quibus vt certior faciliórque eſſet intelle-

Sacroſ. Eucharistiæ vis.

Vera cauſa occupati Laurentii à Dæmone.

ctus, ad vberiorem veritatis aſſertionem Dæmoni Præſul rurſum imperauit, vt integrè verba ipſa repeteret. Itaque rurſum & tertiò, apertiſſimè, vti antè, enuntiauit, & diſertiùs clariuſque multò, quàm prima & ſecunda facta interrogatione.

CAP. 18.

Cognita ergo vera cauſa cùr occuparetur id corpuſculum adoleſcentuli, de egreſſu cœpit Reu. Præſul rogare, & de hora; Poſtremò & de ſigno eius emigrationis. Horam dixit fore decimam, qua emigraret, ſed aliquanto pòſt etiā nonam deſignauit. Signum verò cùm recuſaſſet edere, ideóque exorciſmi eſſent continuati, & ſacræ Litaniæ orationes, tandem cùm inhumaniter direque afflixiſſet adoleſcentulum, & nonnulla eſſet ineptè nugatus in eos, qui diuinos hymnos Deo canerent, atque adeò in Robertum Huguetum Canonicum Sueſſionenſem, & tum Reuer. Præſuli adminiſtrum in eo munere obeundo, ſignum ſe daturum dixit, ſi cantu abſtineretur. Tanta ſcilicet erat eius & diuinæ laudis inuidia & calliditas, cùm ingenium aliò planè ei tenderet.

CAP. 19.

Hoc ergo poſtremum eius fuit de ſigno reſpóſum, abiturum ſe tum denique, cùm Laurentius volens Album ceperit: qui ſi recuſarit accipere, ſignū tunc ediderit, ſe eo non egreſſurū hoſpitio; Atque hoc etiam, ſiue id ioco, ſiue feriò, addidit, velle ſe non ad eum tractari modum, quo tractatus eſſet antea Bonnorius, *Signum emigrationis.* *Album pro Eucharistia.*

in Diui Medardi cœnobio. Nam præterquàm quòd exorciſmis eſt appetitus ſeueriſſimis, etiã propemodũ ſuffocatus fuit, Albo in os indito, & vi intercluſo ac repreſſo ſpiritu. Cuius quidem Bonnorij cùm delationem metueret plurimùm, qui præſens & comes & ſocius illi eſſet, ex eo tum emigraſſe ſe domicilio dixit, nec in eodem conflictu exorciſtam oppugnantem expectaſſe ac ſuſtinuiſſe. Ita pauidus ille & fugitiuus Dæmon nunc ſtationem relinquebat, & cedebat pugnanti aduerſario, nunc ridebat tanquam receptis viribus. Idem quoque ſe antè feciſſe in Epiſcopeo eſt confeſſus, qui cum Bonnorio eadem in ſtatione manſit, donec aduentu Franciſcanorum, loco deſerto, triduum totum abfuit. Redibat ergo impuriſſimus ſpiritus, cùm ſibi inducias concedi exiſtimaret: & nunc tandem poſtremo reditu venit, cui pugnam detrectare non licuit.

Cap. 20.

Nam Reu. Præſul & orationibus vrgebat, & ſacroſancta porrecta in eũ hoſtia: cuius virtute compellata & exorata cogetur emigrare. Eiuſmodi nimirùm fuit extrema Præſulis oppugnatio, & id ſummũ vltimúmque eius imperium, vt allata ob oculos adoleſcentuli Euchariſtia, eius virtute diſcederet ex eo corpore, quod vi & iniquè occuparet, nullo vnquã permiſſo reditu, & diſcederet, nec illato ei vllo nocumento, aut vlla omninò cuiquam viuenti creaturæ moleſtia illata: imò verò recederet in profundum tartari locum, ſibi & conſortibus

deſtinatum. Ea igitur corporis Ieſu Chriſti pręſentia, eáque diuina virtus, ſpiritum & immundũ & ſceleratũ eò adegit, vt hoc denique ſic reſponderit, Iam nunc diſcedo. Id verbum quaſi recens quidam cruciatus adoleſcentulo fuit, cuius lingua in mentum pependit exerta: & cuius dentes fero & metuendo ſtridore ſunt concuſſi, ipſique in fronte oculi horrifico quodam motu rotati. Et hæc quidem fuit ceu cataſtrophe in tã miſerando ſpectaculo. Nam paulo pòſt, animo diuinitùs recreato, loqui tranquilla voce & ſedata mente cœpit. Itaque Reuer. Præſul in tam cœleſti negotio, perfuſus gaudio incredibili, adoleſcentulum rogauit, ecquid meminiſſet quæ palàm eſſet elocutus: An ſe Lanneſſonum appellaſſe recordaretur, & an cætera illi venirent in mentem. Ad ea verò pudore & rubore ſuffuſus adoleſcentulus, omniũ planè ſe oblitum reſpondit, quæ cruciatu opprimente acta & dicta eſſent: neque aliud loqui tum potuit, quàm ſe omnium veniam petere, & ſi quid peccaſſet, condonari vehementer cupere. Rogatus deinde an totus valeret, ſanúſque eſſet, ita ſibi ſpem & fiduciam in Dei gratia & beneficio collocatam polliceri dixit: atque hoc addidit, ſpiritum diſcedentem ſibi tibiam intorſiſſe: quam & mox ſpectandam exhibuit. Quare certior iam factus Præſul, quàm hæc vera eſſet beneficentia diuina, ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum ei dedit: quod maxima religione ac pietate, ſubmiſſè admodum ſuſcepit. Atque his ad eum modum peractis,

Virtus ſacramenti altaris.

Sanus & liberatus Dæmone Laurẽtius.

Obliuio eius

Tibia ei torta.

Eucharistiam ſuſcipit.

gratiæ ab omnibus publicè diuino numini ſũt actæ, ob ſecundum hoc eius immenſæ bonitatis & potentiæ ſempiternum in omnes ætates monumentum, quo miſellum hunc adoleſcentulum clementiſſimè hoc altero miraculo affeciſſet. Et hæc ſanè ſunt, ô Antiſtes, quæ non ſolùm ex aliorum ſynceris fidelliſſimiſque hac de re diariis, mihi tuo iuſſu communicatis excepi & collegi, ſed etiam ipſe vidi: quæ & complurium teſtium voce & ſententia comprobata ſunt. Scribæ quoque ad id rogati & admiſſi ſunt, Adrianus de cruce, Notarius regius, & Ioannes Lupettus, Reu. Epiſcopi Scriba publicus: quorum codicibus omnia, quæ Sueſſione acta ſunt, ſumma fide ſunt deſcripta: nec earum rerum quicquam ſine publico teſtimonio factum fuit. M.D.LXXXII.

Sequitur tertij miraculi hiſtoria, editi Sueſſione in muliere Nicolea Energumena, diuina virtute liberata à Dæmone, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, quinto Calend. Martias.

NICOLEA ENERGVMENA.

SVſcepti huius inſtituti tertia hæc eſt non diſſimilis à ſuperioribus hiſtoria, in qua etiam exponenda, non minorem dabimus operam, quàm adhuc fecimus: & ordine, vt quæque res geſta eſt, proſequemur. Quæ autem hîc commemoratur pugna, non vt

antè in ephebum adoleſcentulum geſta eſt, ſed in mulierculam, quæ vitæ & morum integritate, omnium iudicio & teſtimonio, quibuſcum egit ac vixit, probatiſſima fuit. In qua ſiue pugna, ſiue oppugnatione, velut in ſuperioribus duabus, maxima & præcipua victoriæ de hoſte cauſa fuit, in venerando & efficaciſſimo Euchariſtiæ ſacramento. Et vt antea, hic idē eſt annus Dom. Milleſimus quingenteſimus octogeſimus ſecūdus, quo hæc apud Sueſſiones, hoc eſt, intra fines diœceſeos Sueſſionenſis acciderunt. Quorum pars quædam ruri geſta eſt, eorū videlicet, quæ narrantur, antequàm ſacris exorciſmis hîc ſeriò & vehementiùs hoſtis appeteretur: & pars alia in hac noſtra vrbe geſta, ægrota ſcilicet miſella muliere ad Reuerendum Præſulem adducta, velut ad præcipuum animi ægrotantis medicum. Narrationis autem noſtræ hoc exordium eſt.

CAP. I.

Decimo ab hac vrbe lapide vicus ruſticus eſt, cui Nancelium eſt nomen, intra diœceſin Reuerendi noſtri Præſulis, haud procul ab Nouioduno. In eo vico muliercula eſt, Nicolea nuncupata, cuius pater Nicolaus cognomento Regius, & conditione vpilio, mater nomine Gulielma. Legitimo ea matrimonio genita fuit, nunc annos nata circiter viginti, nupta Carolo Petro textrinam exercenti, nato apud Sanctum Anianum in Brieſi prouincia. Ei Carolo pater fuit Egidius Petrus. Vt autem rem altiùs repetamus, ad annum milleſimum quingen- *Locus.* *Genus.*

Tempus & morbi initium. teſimum octogeſimum reuoluemur, quo mulier hæc, ſeptimo Idus Maias, primùm cardiaca eſſe cœpit, ſub horam noctis decimam, & corpore ac membris vehementer debilitata. Vixerant tum ſeptem menſes à coniugio inito. Et eo tandem morbo alleuata, lecto ſe ad quietem commiſit. Atque hîc certè altera eius naſcentis mali labes, quæ ſomnum & quietem illi abſtulit: ſpectrũ videlicet, quod ad cubilis ſuperiora *Primũ ſpectrum muliebri ſpecie.* apparens, inopinato ſpectaculo pauefactam & attonitam reddidit. Muliebri ſpecie erat, colore candido, & corolla precationis Dominicę, pietatem ac religionem oſtentans. Sed metu correpta mulier, clamorem continêre non potuit: & repentè ad virum vociferata, multis precibus, vt aduerteret orauit, narrans obiectum ſibi ſpectrum inuſitatum. Ad quam vocem vir ſubitò exurrexit: qui cùm luſtraſſet illico, circumſpexiſſetque omnia nihil reperit.

CAP. I.

Ex eo tempore, ad inſequentem menſem, hoc eſt, circiter Diui Ioannis feſtum diem, trãquilla mente ſuis ipſa rebus, vt proba mater familiàs, operã dedit, vana iſta friuoláque eſſe exi*Secundum ſpectrũ viri ſpecie.* ſtimãs, ſed, quo dixi tempore, denuò ſe nouum illi ſpectrum obiecit. Increpita fuerat à viro de re leuiſſima, de lecto videlicet ſeruis compoſito & inſtrato, atque ob id irata, vt mulierũ eſt ingenium, & vehementiùs in virum cõmota, cùm ſub horam ſeptimam ad eum componendum prodiiſſet, velut arrepta occaſione, ſe obtrudit iterũ illi noua & atra ſpecies, vir ferox,

& truci aſpectu, miræque magnitudinis, qui necem intentabat. Contra quem accenſa illa, velut hoſtem certum ſibi imminentem, ſubitò de propulſando cogitat, & raptam falculá, quæ prima occurrit, manu corripit: qua ſeu ſatis armata, ſpectrum magno animi ardore quærit, & ferire tentat. Sed cùm fruſtrà ſe conati, & aëra verberare intellexit, iam propè viribus defecta, & perterrita, abiecta ſpe, conſilium init ad virum ſuum confugiendi. Is in cella inferiore tum texebat. Euocat igitur quantum poteſt, ex imis pulmonibus grauiter anhelans, & voce ferè omni deſtituta. Vir vtcunque vocari ſe ſentiens, proſilit, & rectâ ad illam in conclaue. Eam procumbentem deflexis in lapidem genibus offendit, ſéque mouentem cum falcula, & neſcio quid appetentem, quod ſibi tamen conſpicuum omninò non fuit. Vxor in eiuſmodi conflictu ad virum conuerſa, cuius implorabat auxilium, rogare cœpit, an non cerneret monſtrum horrendum & ingens, & adeò formidabile, quod in ſe lethaliter hoſtiliterque irrueret. Ac dum in tanto eſt pauore mulier, dumque hæc loquitur, præter ſpem ex eius oculis ſe ſubduxit. Ea tamen fuit eius animi debilitatio, cui vix tum potuerit occurrere. Nam ad focum deportata, continuò ægerrimè aliquandiu habuit.

Mulier perterrita.

Spectrum euaneſcit.

Cap. 3.

Atque ex eo tempore nullus ferè præteriit illi dies, quin morbo aliquo tentata ſit. Sæpiùs algido ſudore diſſoluebatur, & membrorum

Ægrè eſt mulieri.

omnium tremore fatiſcebat, variéque, nec ſinē dolore haudquaquā leui diſtrahebatur. Nonnunquam integrū vel dimidiatum diē morbo vrgente iacebat oppreſſa, & frequenter totas noctes afflictata erat. Itaque ſparſi rumores de illa: cùm alij comitialē eius morbum dicerent, alij Diuæ Reſtitutæ morbum, vt vulgus appellare ſolet, aliud alij, vt in mentē veniebat. Ededucta eſt ob eam rem ad Diuos diuáſque, vt tot malis remedium alicundè ſuccurreret. Quæ cùm per feſtos Pentecoſtes dies ad Diuam Reſtitutam pergeret, inepta quædam & ſtolida in ipſa via factitabat. Nam quoſcunque nacta erat obiectos ſibi lapides, eos manu prehēſos in alterum mouebat ac deponebat latus. Etenim longo illos ſpatio ita decubuiſſe aiebat, ideóque fatigatos, in aliud latus retrouerſum ponendos eſſe. Hæc ſcilicet erant agitatæ & parum ſanæ eius mentis argumenta. Quæ hîc, vt & multa etiam alia prætermittimus, cùm per ſe leuia, tùm ſcripto hoc tam ſerio indigna. Atque ad ea quæ ad inſtitutum faciunt, animorúmque retinendam pietatem ac religionem progredimur.

Rumores de morbo.

Peregrinatio ad Diuam Reſtitutam.

CAP. 4.

Annus erat Milleſimus quingenteſimus octogeſimus primus, & menſis Iulius: quo menſe vulgus laborioſius operoſiúſque eſſe cōſueuit. Eo tempore, de amicorum conſilio, hæc mulier Parocho ſuo culpas animi, de more Catholicæ Eccleſiæ, confeſſa eſt. Ac tum ab eodem ſuo Parocho ſanctè admonita, vt idem

A Paſtore ſuo petendus cibus animi.

quoque factitaret intra certum temporis ſpatium. Iuſſa etiam eſt, vt viro id referret, qui ſimiliter confeſſionis ſacramento ſe inſtrueret, aduerſus Dæmonum hoſtium noſtrorum inſidias.

Cap. 5.

Vterum tum illa gerebat: quæ & partum inter medios labores edidit, viuidum certè & inoffenſum. Nam metebat eo tempore mulier, & meſſorum validiſſimorum labores ad æquabat, omnium ſpem ac opinionem ſuperans, quiduis tolerando, & ſtrenuè ſe gerendo. Quæ, velut conceſſis à morbo induciis, poſtquàm fœtus in lucem editus eſt, bona eſſe valetudine cœpit. *Laborioſa mulier.*

Cap. 6.

Peracta meſſe, cùm & illa & vir, vti iam diximus, Parochi conſilium ſecuti eſſent, ac pœnitentiæ accepiſſent ſacramentum, ſibi tum Parochus viſus eſt certior eſſe factus in dignoſcendo mulieris morbo: quam tunc planè ab impuro ſpiritu agitari dixit. Quamobrem ſalutis eorum ſtudioſiſſimus, vt bonus Paſtor, monere ambos cœpit, vt diuino intereſſent Eccleſiæ officio Dominicis & feſtis diebus maximè, & Chriſti paſſionis crebrò meminiſſent, earúmque omninò plagarum, quas noſtra cauſa innocens pertulit. Quotidie pro ſuo captu Orationem Dominicam & Salutationem angelicam quinquies dicerent: & ad ſuſcipiendum Chriſti corpus venerandum ſe pararent, cùm dies in Eccleſia *Confitetur vxor & vir ſuo Parocho.* *Parochi admonitio ſalubris.*

celebriores agerentur. Hæc Parochus ille, vir nimirùm religioſæ profeſſionis, Diuorũ apud nos Criſpini & Criſpiniani, Auguſtiniani ordinis cœnobita, Eius verò cœnobij nunc eſt Abbas Atiotus Gonnelæus, Archidiaconus & Canonicus Sueſſionenſ. vir & pietate & doctrina imprimis commendatus. De cuius virtutibus hîc plura dicerem, niſi ſuſcepti inſtituti me reuocaret memoria. Morem igitur ſalubri Parochi conſilio geſſerunt, non quieſcente tamen prorſus ſcelerato ſpiritu, cùm ſæpiùs ſeſe proderet, & mulieris corpus aliquando agitaret, velut prælud io quodam vtens, antequàm atrociùs in eam irrumperet. Qui tantum quidem poſtea eſt molitus, vt ad obliuionem & ſocordiam eos impulerit.

Atiotus Gõnelæus.

Cap. 7.

Effluxerunt autem propè quinque menſes, donec tandem peruentnm eſt ad diem Chriſti natalitium. Quo quidem die tunc apud Nancelium incolæ, viri iuxtà ac mulieres, ſanctam Euchariſtiam magno numero ſuſceperunt. Sed hæc mulier, eiúſque vir tum abfuerunt: quos abeſſe & Parochus, & qui aderant, ægrè ferentes, id tunc exiſtimarunt, quandam diſciplinæ Eccleſiaſticæ contemptionẽ eſſe. Itaque muſſitare primùm inter ſe cœperunt, nec diſſimulare tamen poſtea, ſed palàm dictitare, naſciturã inde in poſterum mali grauioris cauſam aliquam. Quæ ſanè præſagitio eos non fefellit. Nam poſtridie Innocentum, qui dies à Nata-

Negligẽtia damnoſa Nicolea.

litio Chriſti tertius eſt, & ex ritu Catholicorũ feſtus in omnium oculis rurſum grauiſſimè morbo eſt afflicta, víxque vnũ aut alterũ diem morbus ex eo tempore vim remiſit. Denique, quod ſumma admiratione carêre non poteſt, morbo vrgente, ipſa in publico omniũ ſui conſpectu, ea loquebatur, quæ nunquam fuerat antea ſolita, & quæ eius ſuperarent ingenium. Quocirca multi tum ſibi perſuaſerunt, eam verè à ſcelerato ſpiritu occupari, qui oris eius organo abuteretur. *Demõ hic verè ſe prodit.*

CAP. 8.

Ita ſe magis ac magis deinde ſpiritus nefarius oſtentauit, alióque ſubinde argumento, & nouo facinore edito, in nouo anno; qui menſe ſequenti eſt inchoatus, Milleſimus quingenteſimus octogeſimus ſecundus. Eius enim menſis pridie Idus, morbus grauiter mulieri recrudùit: cuius fauces vehementer turgeſcere viſæ ſunt, & lingua adeò exerta & pendula eſſe, vt præ horrore & terrifico adeò ſpectaculo, omnes illicò pauore correpti, aufugerint, ſolo ibi mulieris viro relicto. Alij enim ceu abacti diſcedebant, & alij fama ac nouitate rei exciti, ſtudio videndæ mulieris accurrebant. Quorum plærique conſpicati eiuſmodi lugubre triſtéque ſpectaculum, faciem mulieris aqua luſtrica, quæ ibidem erat, aſperſerunt. Sed tum mulier diſtorqueri cœpit vehementiùs quàm aliquando antea: & manum ſibi in faciem apponere ad detergendam aquam, cuius vim non ferebat, quæ ſibi permoleſta erat. Stillabat ſci- *Anno 1582* *Nicolea deformata à Dæmone.* *Aquæ luſtricæ vis.*

licet ac fundebat vis aquæ eiuſmodi cœleſte ac diuinum quiddam, quod dæmonibus inuiſum & intolerandum eſſet. Qua de re in prima huius ſuſcepti operis hiſtoria dictum eſt.

CAP. 9.

Tertiũ ſpectrũ varia ſpecie.

Neque verò intermiſſus eſt ei morbus, præterquàm biduum: & noua quædam effigies ad eam turſum venit: nunc nudus & pulchellus quidam puer aſpectu iucundus, nunc Columbi ſpecies, & aliquanto pòſt, quaſi Muſtela fœnaria, quæ in ſalicem ſcanderet & perreptaret. In eius quoque horto hæ apparuerunt ſpecies: & eo quidem tempore, quando vir ancipiti verſabatur cõſilio, an relicta domi vxore ad nuptias proficiſceretur, quò inuitatus erat, aliquanto inde interuallo itineris, an verò ad vxoris cuſtodiam permaneret.

CAP. 10.

Permanſit tamen ille, ac domi ſe continuit, quò præſens ac paratior eſſet, ſi quid fortè vxori contingeret.

CAP. 11.

Collocutus Dæmon cũ Nicolea.

Comminatio Dæmonis.

Quod ſanè diuino eueniſſe conſilio vel nolens Dæmon poſtea ipſe indicauit, qui mulieri vexatę, inter eius cruciatus rem totam aperuit. Collocutus eſt enim cum ea, & garriendo, vti aſſolet, vltrò retulit, quoſdam eſſe nefarios, qui virũ eius dehortati ſint, ne emigraret hinc ad Margniacũ, vicum ad Matronam fluuium ſitũ: idque prẹter inſtinctũ & votũ ſuum eueniſſe, qui abſente illo, prodigioſa quædã patrare conſtituerat. Nam tantum ſe pauoris dixit incuſſu-

rum his fuiſſe,qui ad eius cuſtodiã veniſſent,vt ſemel egreſſi,rurſum ad eam poſtea redire non auderent:ſéque illa,vti libuiſſet, vſurum fuiſſe, & in quã voluiſſet partẽ pro arbitrio verſaturũ. Hæc atque eiuſmodi erant iactata illius impudenter colloquia. Mulier verò ad ea tam inſolenter dicta & iactata pauidum eum fugacémque eſſe reſpondebat,& ad fugam velut imbellem eum hortabatur:Nam ſe ſpectare Angelos, qui ſibi opem ferrẽt. Et fortis certè diuini muneris beneficio tũ fuit mulier, quæ infanda impiáque ſuggerenti cacodæmoni ſapienter reſtitit.Suadebat ei,vt quadrimeſtrem puerum vel ſub aquas demergeret,vel ſuffocaret ac ſtrãgularet. Et omnia eius conſectans, ptemenſque veſtigia, extimulabat perpetuò ad iniiciendam flammam in ædes vicinorum, & ad cædem ſui faciendam,vel ſe aquis obruendam.

Dæmõ ſua ſor homicidÿ, cui & obſcœna placent.

CAP. 12.

Ac dum Chriſti Ieſu nomen ei opponeret,& Mariam Virginem ipſa nominaret, ſubitò ille improbus inuidúſque obſcœna, quæ pæderaſtiam fœdiſſimã olerent, ſuggerebat, & impuriſſima quæque ex vulgi corruptiſſimi ſermonibus allata obtrudebat. Crucis ſignum à muliere figuratum manu dextra, inuidus planè ſpiritus teſtabatur ſibi ingratum eſſe, cùm læuam illico in dextram iniiceret, & crucis triumphantem victoriam non ferret oſtentari. Neque enim oblitus eſt ille impius, quanta ſit virtus crucis, qua omnes, quantæcunque ſunt inferorũ poteſtates, ſemel ſunt

Crux odioſa Dæmoni.

victæ & proſtratæ. De qua quidem vi crucis iam aliquid diximus in prima huius ſuſcepti operis hiſtoria. Itaque ad reliqua pergimus.

CAP. 13.

D. Guliel. Fladrus ſacerdos acerſitus.

Mulieri dolor non intermittebatur, tametſi aliquando minor erat moleſtia, quæ varias illi cogitationes iniiceret, Spe quadã ergo apud ſe concepta, iuſſit accerſi eius loci cõiunctum ſibi genere ſacerdotem D. Gulielmũ cognomento flandrum, quem puellula quædam rufi coloris accerſiit. Eam verò puellulam mulieris huius maritus miſerat ſua cauſa, cùm ipſe eò proficiſci non potuiſſet. Aduenienti igitur, & iam domum ingredienti ſacerdoti nefarius impurúſque ſpiritus ille infit: Cur hunc accerſiſti, & rufam ad eum puellam miſiſti, ſceleſtam nimirùm ac fallacem? Eius facti diras mihi tu pendes pœnas. Eas tamẽ nihili fecit minas mulier, & muſſitandum hoc ei eſſe dixit, ferendúmque vel nolenti.

Rufa puella.

CAP. 14.

Dæmonis improba ſalutatio.

Sic etiam propemodum excepit Parochum Andignicurti eò venientem, poſt ſacrum à ſe factum in Nancceliana ſacra æde. Statim enim vt eſt conſpectus, ab eodem ſcelerato ſpiritu his eſt acceptus verbis: Quid eſt quòd hic veſtitu nigro amictus huc accedit? Meo malo, opinor, nunc venit. Inſuauis nimirùm & improbus ſalutator cacodæmon, à quo nihil boni ominis vnquam oritur. Itaque his auditis, nulla mora ille abiit.

CAP. 15.

Poſtero

Poſtero die, qui quintus fuit ante Calend. Februarias, in templum, vt ſacro faciendo intereſſet, deducta eſt. Parochus ſacrum faciebat, in quo ad Præfationem vſque progreſſus, vt eam cœpit enuntiare, viſus eſt ſimul ſpiritum nefarium exaſperaſſe, qui tum mulierem atrociùs exagitauit. Namque miſerandum in modum diſtorquebatur, expaueſcentibus omnibus qui aſtarent, & panem ſibi de more porrectum proiiciens, & corollam quoque precariam.

Dæmon irritatur audita Præfatione Miſſæ.

Cap. 16.

Quæ, licet geminato in ea cruciatu, ad aram tamen propriùs adducta eſt ſacro peracto, vt ſtola in caput à ſacerdote excepta, Diui Ioannis Euangelium audiret, cuius eſt initium, *In principio erat verbum*. Quo finito, cùm ſtolam ſacerdos oſculandam traderet, morſu illam apprehendere eſt conata. Sed fruſtrata conatu, Albam eius ita mordicùs apprehendit, compreſſitque, vt vix auelli potuerit. Allata eſt ergo aqua ſacrata, qua ipſa aſpergeretur, ſed incredibili celeritate repulit retruſitque aſpergillum, velut odioſum ſibi ac nociuum quidpiam. Horrorem ac metum incutiebat, deturpata facie, & conſpectu huc atque illuc vacillante, capiteque contremiſcente.

Albam ſacerdotis morſu corripit.

Luſtricam metuit.

Cap. 17.

Cereus porrò illi in manum, quanquam renitenti, eſt datus: & face accenſa, venerandum Chriſti corpus oſtentatum. Sed horridiore eſſe

Et præſentiam corporis Ieſu Chriſti. aſpectu tum viſa eſt, ſurſumque efflare ſæpius, quaſi facem reſtinctura, videlicet eam adigente ſpiritu, qui præſentiam inuictiſſimi Domini ſui reapſe propoſitam & veram non ferebat.

Cap. 18.

Imperabat Parochus adiurabatque, Ieſu Chriſti compellato nomine, eiúſque corporis in ſanctiſſimo ſacramento allegata præſentia, & ſimul diuinæ Trinitatis virtute ac poteſtate inuocata, vt Dæmon quiſquis eſſet, qui've in eo deliteſcerent corpore alij quicunque dæmones, modum torquendi facerent, ac emigrarent, nulla vnquam ſpe eodem reuertendi. Imperij vehementis proculdubiò & fortis hæc adiuratio fuit: cuius vim ſuſtinere imbellis & impos virium hoſtis Dæmon non valuerit. Nam mulier apertè id teſtata eſt: quæ profiteri quandam animi cœpit alacritatem, ita exclamans, Abit, abit ſceleratus, & recedit, Mihi tergum patefit, ille abſcedit. Adeſte verò ocyus: nunc modicum leuamenti. His verbis mulier vtebatur, cùm interim Parochus Letaniæ recitandæ, orationibúſque vacaret: & inuidus ſpiritus orantes conaretur interpellare, ipſam diuexando inter eas preces: quibus peractis, abeuntem mulier ſentiens, exclamabat illum diſcedere eiúſque beneficij laudem Deo eſſe tribuendam. Ac dum ſe morbo & doloribus leuatam diceret, eodem ipſo momento cereum ibi proximum reſtinxit, illum iam abiiſſe dicens, & ex corpore ex-

Vis ſacramenti altaris.

Dæmon inuidet orantibus.

ceſſiſſe. Itaque demiſſa ſtatim in genua manibus coniunctis, gratias egit Deo immortali. Quas cùm peregiſſet, domum ſuam rediit. In ipſo autem itinere patri occurrit lachrymanti: cuius aſpectu & ipſa in lachrymas eſt ſoluta: & pudore quoque incredibili eſt affecta, tanto poſt ſe hominum cœtu animaduerſo. Nam tunc primùm videre ac noſſe cœpit, quæ cùm morbo teneretur, nec ſentiret, nec diiudicaret, vti tum roganti cuidam reſpondit mulieri, nullius ſe mali, quod ſenſiſſet, recordari. *Opprimente morbo nullus ſenſus.*

CAP. 19.

Vſque in diem ſequentem proximè, ita integro & tranquillo animi corporíſque ſenſu fuit. Etenim die illo circa meridiem dextra ei intumuit mamma, quæ & lapidis in morem ſemihoræ ſpatio obduruit. Cumque deturgeſcere cœpiſſet, nouus acceſſit cruciatus paulatim ſemper ingraueſcens, qui verſatam in omnes partes vſqueadeò agitauit, vt totius corporis mēbra ſibi ipſa diſſoluere ac diſrūpere videretur, nullis qui ad opem ferendam accurriſſent, ſatis validis ad tantos motus compeſcendos. Inter quæ tormenta garrulus ſceleratúſque tortor Dæmon, ſic mulieris ore loquebatur: Heri quidam paruulus admodum ipſe fui, & coactus in anguſtias, cùm tuus ille Parochus toga indutus candida me alloqueretur. Quem quidem hominem vehementer antea metui, at nunc minus formido, & mihi iam liber eſſe video, qui nomen meum *Mamma Nicoleæ turgida.* *Dæmon loquax.*

edere non ſum ab eo interpellatus. Vnus autem alius quidam eſt eo maior, quem maximè metuo. Reuerendum verò ille improbus Sueſſionenſem Epiſcopum eo dicto intelligebat. Deinde comminabatur ſe quod decreuiſſet mulier, interrupturum: & effecturum, ne Sueſſionem deferretur. Tantis ſcilicet eam oneraturum malis, vt perferre nequeat: totaque nocte diſcruciaturum eſſe, & turgidiora eius crura redditurum, quàm hic craſſus ſtipes eſſet quem oſtendebat. Ad ea tam inſolenter iactata mulier ſibi non temperauit: verùm ſe Sueſſionem peruehendam ciſio dixit, Deo duce & auſpice: & tanto abiectiùs illum fore deprimendum, quanto ſe arrogantiùs tunc efferret. Ne tamen vinci ille videretur, & peiora & grauiora in eam mox retorſit: ſe collum omnibus effracturum prædicans, qui ad eam iuuandam comitandamque accederent: & equos qui traherent, adeò de recto tramite & orbita deflexurum, vt eo die, perlongo facto itinere, Sueſſionem non peruenirent. Id quod certè, vt poſtea docebimus, accidit. Amici interea & vicini, luſtricam aſpergentes, nomen Chriſti Ieſus, & Diuæ Virginis Mariæ, ipſi in mentem reuocabant, cùm impurus ſpiritus, pro ſuo more & ingenio, contraria ei & impura omnia verba ſuggereret. Sæpiùs enim pædiconis appellationem ei in lingua verſabat: & quicquid fœdum ac turpe dictu eſſet, ingerebat. Vultum quoque illi diſtorquebat miſerè, & ore hianti omnes conſputare nitebatur;

Metuit Reu. Epiſcopū Sueſſ.

Comminatur nimu lieri.

Comminatur eam Sueſſionem deducturis.

Verba obſcœna ſuggerit.

atque ad crucis ſignum, aliorſum protinus eam reflectebat. Ad eum modum, duabus tantùm intermiſſis horis, acerbiſſimè afflictata eſt mulier. *Crucem horret.*

Cap. 20.

Sub eiuſdem diei horam quintam, nouis denuò agitata eſt tormentis, atque adeò quidem grauibus, vt maritus, qui illam ſubſidij & ſolatij cauſa in amplexum ſuſceperat, vix coërcere potuerit, quin ipſe læderetur, tanto in eum illa ferebatur furore & impetu. Morſus intentabat, quos cùm fruſtrà faceret, tandem in ſeſe inſaniam vertit: & ſubuculam faſciamque pectoralem ſibi ipſa fruſtatim manibus ac dentibus dilacerauit. Sedari non poterant tanti motus, cùm etiam luſtrica aſperſa, irritatior videretur ſpiritus, qui minas iactaret, & mulieri diceret, viro ſuo benè eſſe, quòd adeſſent alij: Et nunc quidem ingenti pauore eſſe illum conſtrictum, ſed proxima nocte multò grauiore metu conſternandum. Inter ea tam miſeranda, qui aſtabant, nomen Chriſti Ieſu, & Diuæ Virginis Mariæ, mulieri ſæpiùs repetebant cùm ſceleratus contrà inſtigaret ſpiritus, vt dira & dæmoniaca pro illis imprecaretur. Diuino tamen fauore protecta mulier, & Chriſti & Mariæ nomina appellauit. *Mulier in ſe inſaniã vertit.*

Cap. 21.

Sed mira tum inconſtantia eam tractauit idem ſpiritus nefarius, nunc morbum inducendo, nunc eundem amouendo, & vno pro- *Inconſtãtia morbi.*

pè momento fauces intumuiſſe oſtentando, & ſubſediſſe. Cùm ſtimulata erat vt pueros cæderet, repentè ſe reprimebat, diuino ſuccurrente ſpiritu: & vt cereum flatu à ſe excitato reſtinxit, in riſum ſoluta, finem tunc dementiæ dedit, mentis & corporis ſanitati reſtituta.

Cap. 22.

Quæ ſanitas ei perſeuerauit in diem poſterum, quo die ſacro faciendo ea tranquillitate interfuit, qua cùm valeret maximè. Sed reuerſa domum, agitari atque opprimi à Dæmone denuò cœpit. Quod cùm attentiùs expenderet Parochus, aſtutiam Dæmonis hoc eſſe dixit, qui tum illi peperciſſet, quòd metueret exorciſmos. Ipſe igitur deinde veritus, ne quid vltra munus Parochi attentaret, & in Dei aut ſui Præſulis offenſam incurreret, ſe continuit, neque ampliùs voluit periclitari. Conſuluit tamẽ patri mulierculæ, eiuſque viro & propinquis, vt eam ad Reu. Præſulem deducerent, qui ſuæ ouiculæ tam miſerè afflictatæ opem ferret. Ipſum enim, vt verum & legitimum Paſtorem, ſatis officij ſui intelligentem eſſe, neque permiſſurum ab ouili Chriſti ouem erraticam incertis agi locis. & contemptam iacere, lupis & feris, ni ſuccurreret, exponendam.

Aſtutia Dæmonis ad vitandos exorciſmos.

Conſilium Parochi.

Cap. 23.

Quamobrem tam ſalubri vſi Parochi conſilio, eodem ipſo die, ſacramentali ſe confeſſione illi inſtruunt, & ſacroſancta Euchariſtia, vt fœlici diuini numinis auſpicio, & fauore cœ-

leſti, miſellam mulierculam Sueſſionem deducant. Nulla ergo interiecta mora comparatur ciſium ad eam peruehendam, aptique ad eam rem equi. Metuebatur tamen eius in faciendo itinere debilitatio: & puellus lacti ad mammā ſæpiùs erat admouendus.

Comparatur omnia ad deducendam Sueſſionem Nicoleam.

Cap. 24.

Rebus deinde omnibus ita cōparatis, cùm profectio ineunda eſſet, morbus tunc recurrit, & cùm vixdum quinque aut ſex paſſus illa pedibus eſſet iter emenſa. Itaque in ciſium imponitur à quatuor aut quinque eam attollētibus. Verùm duobus poſtea milliaribus propè decurſis, rota vna in via plana, & loco paulò eminentiore ciſium effudit atque euertit, quanquam illud ſuſtentante atque adminiculante Ioanne Barbarano, viro corporis viribus prævalido, quem tunc impurus ſpiritus iocādo irridebat, quòd tanto conatu ciſium fulciret, contineretque metuens ne ad terram inuerteretur. Ciſiarius verò adeo perditè pauideque eo caſu ſtupefactus eſt, vt neglecto funiculo & freno, equos curriculo agi ſineret, diuino ſe totum committens arbitrio, & præ metu ac terrore, tanto rubore concepto, vt coccum rutilando exuperaret.

Nicolea in ciſium impoſita.

Pauor Ciſiarii.

Cap. 25.

Iter ingreſſi erant à Nancelio maturè admodum, ſub horam nonam matutinam, ſed deflexi de via, totis nouem horis errantes, vix tandem in Cuſſium vicum ruſticum, ab hac vrbe duobus diſtantem milliaribus, ad horam ſex-

Errat Ciſiarius à via.

tam veſpertinam peruenerunt. Ibi è ciſio degreſſa mulier, in diuerſorium recepta eſt. Deinde appoſita cœna, hilarula eſſe & iocis indulgens paulò liberior viſa, quæ epulonum & gerronum exemplo, vinum afferri ſæpiùs imperabat, & quicquid edulij haberi & depromi poſſet. Omnes ad hilaritatem inuitabat, plerúque iactatis in modum eiuſmodi verbis, quæ referre ſuppuduerit. Orta diei inſequentis luce, cùm, vt ciſium conſcenderet, domo egrederetur, ſubitò tanta vi morbi correpta eſt, vt diſtorto pede ambulare commodè nequiuerit. In malleolos pedum incumbebat, dum ingredi conaretur: id ſcilicet incommodum afferente inuido illo & ſcelerato ſpiritu, qui retrorſum etiam brachium erat ei inflexurus, ni retentus eſſet ab his qui adeſſent. Tandem verò eſt in ciſium impoſita.

Mulier hilarula.

Dæmonis irrequieta malitia.

SECVNDA PARS
huius hiſtoriæ.

NVnc ergo his expoſitis ea dicere aggrediamur, quæ in noſtra hac vrbe geſta ſunt, poſtquàm ex agro iam in eam venimus.

Cap. I.

Pridie Calend. Februarij, anno Dom. Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, ea mulier cum ſuis vrbem hãc ingreſſa, ſub octouam horã matutinã, rectà ad Reuerend. Præſulẽ venit. Qui, qua eſt humanitate & beneuolẽ-

tia, opē auxiliúque pro diuino fauore & arbitrio promiſit. Ac eo quidem ipſo die, poſt peractam à choro Eccleſiæ ſupplicationem, ordine & ritu celebratam, viſum eſt ipſi Reuerendo (neque id ſanè, niſi ſumma cum prudentia & inſtinctu cœleſti) vt mulieri conferret Confirmationis ſacramentum, cuius quidem vi & robore, eius virtus eſſet auctior ad reluctandum, & dæmon imbecillior ad oppugnandum & vexandum. *Nicolea cōfirmatur ab Epiſcopo.*

Cap. 2.

Verùm arcano quodam diuini numinis arbitrio & permiſſu illa in morbum recidit. Nam regreſſa in veſtiarium, vbi Confirmationis acceperat ſacramentum, & in genua demiſſa, proximè Reuerendū Præſulem, ſpectrum ſibi recèns oblatum vidit. Senſit autem id Præſul, obſeruato eius geſtu & corporis motu, qui noui quidpiā eſſe diiudicans, eſt ſciſcitatus è veſtigio quid ſpectaret. Illa verò ſe auiam ſpectaſſe reſpondit, oſtio ſuperiore egreſſam: à qua moneretur vt ſacrum eius cauſa fieri iuberet. Retulit etiā Angelos ſe ſpectaſſe. Deinde vt eam narrationem concluſit, relapſa eſt in morbum. *Spectrū obiectum Nicolea.*

Cap. 3.

Et pòſt, ſub veſperam iuſſu eiuſdem Reuerendi Præſulis ad D. Cannattū Eccleſiæ Sueſſionenſis Eccleſiaſtem Theologum eſt deducta. Apud quem palàm interrogatio facta eſt: imò verò ab eodem ipſo ſpiritus nefarius ſeriò eſt interrogatus, cùm permulti ad eam rem conueniſſent & adeſſent. Aderant Ioan. Pinſonius *Interrogatur Nicolea ſpiritus à Theologo.*

Canonicus Sueſſionenſ. Frater Antonius Flobertus Franciſcanus, Fráciſcus Buzeræus ciuis & electus Sueſſ. N. Seruatius Religioſus cœnobita Diui Leodegarij, Adrianus de cruce, regius Notarius. Et ſcripta eius rei ſumma fide ſunt teſtimonia.

CAP. 4.

Eodem ipſo die Reuer. Præſul ſtatuit in diem Dominicum proximè ſequentem ſummis viribus agere in Dæmonem, & exorciſmis ſacris eum appetere atque acriter vrgere. Quod vt vberiore diuini numinis gratia fieret, adhortatus eſt mulieris propinquos, & eos qui affuturi erant exorciſmis peragendis, ad triduanum ieiunium. Id conſilium planè diuinum omnes libenter amplexi ſunt, certa ſpe in Dei clementiam collocata de morbi curatione & alleuamento.

Triduanũ ieiunium.

CAP. 5.

Interim verò mulieri morbus ipſe recruduit: ideóque medici huius vrbis ad eam viſendam ſunt euocati, quid de hoc morbi genere ſentirent, explicaturi. Hanc igitur, cùm veniſſent, attentiùs & diutiùs intuiti non aliud animaduerterunt, quàm grauiorem & crebriorem ſtomachi ac pectoris motum quendam, quo & eius mammæ inuſitato more concuterentur: & omnia ſibi videri ſupra morbũ naturalem. Itaque mirum in modũ ſtupefacti ſunt, cùm eius etiã tum creparent ac perſtreperẽt inteſtina, tametſi humi ipſa aſſidêret. Sed & prædura eo quoque tempore ac turgidior ſolito, eius dextra mamma erat, ſiniſtram longè ſuperans. Ac dum ea

Medici acceſſiti.

Eorum iudicium.

Et in mulierem inquiſitio, vis morbi remittitur. Ibi ergo nacti occaſionem percontandi liberiùs, rogant ipſi medici, ecquid meminiſſet eorum quæ dixiſſent. Illa nihil eorum ſe meminiſſe reſpondit, nec paſſam quidpiam eſſe iſtis agitationibus, quas in ſe notaſſent. Cauſas igitur inter ſe illi perſcrutantes, cùm ſatis diſceptaſſent, non aliud in mentem eis venit quàm antea, hoc videlicet morbi genus naturam ſuperare, & artis medicæ omnes omninò prætergredi limites. Sed vtcunque res haberet, ex artis ſuæ doctrina decreuerunt mulieri ſumendum apozema in veſpertinum tempus, & in diem craſtinum medicinam. Quæ tamen medicina ob Purificationis Diuæ Mariæ Virginis diem, in ſabbatum, hoc eſt, poſterum proximè diem reiecta eſt.

Non ſentit Energumena.

Decretum Medicorũ.

Cap. 6.

Die autem Purificationis, quam cum Diuo Luca καθαρισμὸν dicimus, ſat bellè habuit, & leuiculo tantùm quodam motu acta eſt inter recitandum in ſacro faciendo Euangelium, & inter eas ſupplicationes, quæ palàm & ordine agebantur. Eodémque die ipſa ieiunauit, vt & ſuperiore proximo, ſumpto tãtùm miſſo ſibi à Reuerendo Præſule iuſculo, ad ſuſtentandas & corroborandas afflicti corporis vires, & ad puelli lactentis alimoniam ſufficiendam qui ſanè puellus valens ac benè habito corpore erat, nihil eum materno morbo afficiente. Apozema igitur hora conſtituta

Ieiunium Nicolæ.

Pueri mira valetudo.

ſumpſit, & manè poſtero die medicinam. Quæ medicina tantum abfuit vt morbum vel curarit vel leuarit, vt magis etiam nocuiſſe viſa ſit, excitatis in eius aluo torminibus, imbecilliorē que reddito corpore: & ob eam cauſam, totum pomeridianum tempus afflictata fuit.

Medicina nihil prodeſt.

CAP. 7.

Venit ad eam Philippus à literis cognominatus, Medicus & Canonicus Sueſſion. qui manu ſua eius faciem, fauces, & mammã dextram contigit, periculum eius valetudinis inde faciens. Verùm ſe ab eo contactam ægrè ferens mulier, illicò quicquid partiũ corporis ille cõtigiſſet, ſumpto in manũ ventrali detergebat & perfricabat: idémque aſperſa luſtrica faciebat, ſibi id infeſtum eſſe dicens, nec velle ſe in nouam recidere cæcitatem.

Luſtrica moleſta Dæmoni.

CAP. 8.

Digitorum monilia, corollámque precariã contéptim abiecit: adeóque immutata mente fuit, vt & nomen quoque ſuũ non agnouerit. Etenim appellata à vicina, Nicolea, non iam ſe Nicoleam eſſe, quæ abiſſet lac puero ſuo quæſitura, ſed deformem ſeruum dici. Neque verò Bõnorium illum eſſe, quem fortè exiſtimarẽt, ſed ſe quendam Bonnorio minorẽ Dæmonem. Eiuſmodi varia & noua illa loquebatur, diuinans etiam, ſiue, vt veriùs dicam, referens ac prodens, quæ excurſor ille & explorator didiciſſet.

Dæmonis nomen.

CAP. 9.

Nam id quoque temporis eò venit Barba-

tanus, eius in faciendo itinere ad hanc vrbem comes. Quem vt vidit audiitque rogantẽ vt valeret, Præclara ſcilicet, inquit, vobis meæ valetudinis eſt cura, qui egregiè pranſi eſtis. Ediſtis piſces, vobis emptos ſeptem aſſibus, in quibus comparandis ſæpiùs licitati, non ſemel ea cauſa eodem regreſſi eſtis. Et vinum hilariter bibiſtis, tum rubrum, tum candidũ: Idque venale ſex & quatuor aſſibus. Hæc verba mulier tum ſuggerẽte ſpiritu illo exploratore fundebat: & ea quidẽ tum effudit, quæ vera eſſe, adita caupona, planè conſtitit. Adeò verò id mirum omnibus fuit, vt nihil iam vllo alio opus eſſe argumento dicerent, ad deſignandum certum hunc eſſe Dæmonem.

Prodit ſe excurſorem & exploratorem Dæmon.

Cap. 10.

Sed & in diem craſtinũ, grauioribus ſevrgendam dicebat malis, idque à pelliculata illa oblonga veſte: Præſulem videlicet innuens, à quo & ſe ali fatebatur. Eique ſimul adfuturũ concionatorẽ heſternum, & alios atro veſtitu amictos. Quo genere orationis, & Theologũ Eccleſiaſtem & Canonicos ſignificabat. Deinde vt excuſſa eſt ea mentis conturbatio, rogata an eorum quæ dixiſſet, recordaretur, ſe nec meminiſſe, nec eorum quicquam noſſe reſpondit.

Dæmõ prædicit futura.

Obliuio Nicolee.

Cap. 11.

Hoc autem loco prætermittendũ non videtur quod illa ſe facturam prædixerat nocte proxima inſequenti. Seceſſerant in idem diuerſorium propinqui eius & amici, qui comites

ei fuerant in hanc vrbem venienti. Ei diuerſo-rio ſignū eſt pendulum, Creſcētis lunæ forma. Conclaue illis datum ibi eſt duobus lectis inſtructum, quorum in altero, duo cubitabant, & tres in altero. Duo illi rupto vel reſoluto fulcro, in terram deciderunt, tametſi id fulcrum nouis & bonis aſſeribus contabulatū dicebatur: Et ex aliis tribus vnus ſpectrum ſe vidiſſe retulit: Caput nimirùm hominis ardens & inflammatum, quod circum menſam ambularit, & ad caminum accedens, focumque exuſcitans, eius prunam brachij longitudine extenderit, quæ mox non ſemel, ſed tertiò & quartò non ſecus exarſerit, quàm candela ſplē-didiſſima, & tamen momēto reſtincta ſit. Quo conterriti omnes ſpectro, inclamarunt, poſcē-tes ſibi lucem afferri. Venit ergo approperans ancilla: cui ſtatim vt in conclaue introiit, candela in manibus eſt reſtincta. Itaque attonita, curſu rapido exiliit, nullis poſtea eorū clamoribus obtemperatura. Eorum verò nonnulli vigiles pernoctatunt nimio terrore affecti, & tota nocte comprecantes. Sed ad inſtitutum reuertamur.

Terriculum à Dæmone noctu factum.

Cap. 12.

Satis comperta res eſſe viſa eſt de muliercu-læ Dæmonio. Statuit igitur Reuer. Præſul nihil ampliùs cunctari, ſed ſacrum ſolenne facere in æde auguſtiſſima, & diuinis exorciſmis, autore Deo, cum hoſte fortiſſimè confligere. Ornatu ergo indutus Pontificio ſacrum fecit, quod cantu & arte muſica fuit conde-

coratum. Cannartus Eccleſiaſtes Theologus, Diaconi munus in eo obiit, & Robertus Huguetus Canonicus, Hypodiaconi. Aſſiſtebant ſacris induti veſtibus Ioan. Pinſonius, & Ioannes Bayllonus, vterque etiam Canonicus Sueſſion. Propiùs verò nos ad aram omnes acceſſeramus, ita tum compoſiti, vt à tergo vrgens atque opprimens turba populi retineretur: quanquam id omninò fieri non potuit, maiore ſe multitudine eodem aggregante & accumulante. Nam ad tria aut quatuor millia conuenerãt, commiſti omnes, tam vrbani ciues, quàm ex agris ruſtici & peregrini, ſpectare hãc rem nouam cupientes, & loquentem aliquando audire Dæmonem, vti iam ea de re latiſſimè ſparſus erat rumor. Id autem multum difficultatis attulit, turba nimirùm propellente, quę & Pręſulem, & eos qui aſſiſtebant, opprimebat.

Sacrum factum ab Epiſcopo Sueſs.

Multa populi turba.

CAP. 13.

Mulier primùm ſatis tranquillo animo eſſe videbatur, ſed moueri & agitari vehementiùs cœpit, cùm in eam impoſita eſt ea ſanctiſſimæ Chriſti Crucis particula, quam religioſiſſima & ſanctiſſima Catharina à Borbonio Sueſſ. cœnobij Diui Virginis Mariæ digniſſ. Antiſtita miſerat. Tumidior enim tunc facies mulieris viſa eſt, colórque immutatus. Sed marcido poſtea & pallido colore depoſito, eximiè rubicunda & venuſta eſſe apparuit, cùm Diui Vodoaldi ſacrum caput, eius capiti appoſitum eſt.

Virtus ſanctiſs. Crucis Chriſti.

Reliquiæ Sancti Vodoaldi efficaces.

CAP. 14.

Cuius contactu profeſſa eſt ſe diuinũ quiddam ſenſiſſe, & in faciem vndique, ac circũ caput, velut ſpinis & aciculis acutiſſimis pungi. Carni etiam adnaſcentem quendam ſenſit tumorem, appoſito ſibi ſanctiſſimo cingulo Diuæ Virginis Mariæ, ex eodem illo celeberrimo cœnobio, allato : & ea quidem craſſitudine cum tumorem ſenſit, qua cingulum ipſum erat. Non fatiſcebat hæc omnia perferens, ſed paſſis & iunctis manibus, in genua procumbens perſeuerabat, venerandas Diui alicuius ſuſtentans reliquias, dum fierent exorciſmi.

Cingulum Diuæ Virginis Mariæ efficax.

CAP. 15.

Qui profectò exorciſmi ex eo codice ſumebantur, cui titulus eſt, Sacerdotale Romanum. In quibus legendis, cùm ad interrogationes ventum eſt, Præſul Latinè his verbis interrogauit: Quodnam eſt tibi nomen? Ille ergo commotis paulùm mulierculæ labiis, Iam ſe nominauit, quem nos, vt reor, Ioannem non ineptè Latinè expreſſerimus. Quod, quanquam ſatis apparebat commentitium eſſe, impudens tamẽ impoſtor idem rurſum dixit. Verùm tertiò interpellatus, ſacramentóque adactus, cùm iam nullam in partem tergiuerſari poſſet, coactus, ſe vernaculo noſtro ſermone, *Varlet*, appellauit. Nos Latinè Seruum dicamus. Atque id nomen ſæpiùs iterauit, nulla vel minima ſyllaba immutata.

Latinè facta interrogatio.

Dæmonis nomen.

CAP. 16.

Latinè deinde interrogatus, quo ex ordine eſſet,

eſſet, noſtro idiomate his verbis reſpondit: *des Varlets*. Nos verò Latinè ſcribentes, Seruos dicimus. Neque profectò quicquã ab ea nuncupatione pòſt variauit. Rogatus portò, cuiuſnã pareret imperio, noſtro Gallico ſermone reſpõdit, *Ie ſuis le varlet du maiſtre des varlets*. Nos Latinè referentes, eum ſeruum dicimus magiſtri ſeruorum. Quæ ſanè reſponſa hîc ſyncerè, & vt dicta ſunt, referimus. Interim autem in exorciſmis Pręſul pergebat, vrgebátque, vt eius qui ſibi imperaret, nomen quoque ederet. In quo primùm ille, quaſi ſubtimêret, voce rauca & fuſca *Ebul* dixit. Deinde nouo adactus iuramento, vt explicatiùs loqueretur, vna adiecta ſyllaba, *Bzebul*, nominauit. Tertiò interrogatus, itémque adactus ſubmiſſa quidẽ ille voce, ſed facilè intellecta, *Beelzebul*, reſpondit. Cúmque in turba cogendum eum quidã diceret, vt expreſſiùs loqueretur, mulierem illicò ſtare iuſſit, & ore ac vultu erecto, vocéque elata, dicere planè & clarè, *Beelzebul*.

Beelzebul magiſter huius Dæmonis.

CAP. 17.

Tales ſcilicet erant verſuti impoſtoris reſponſiones mutilatæ & diſſimulatæ ad fraudem faciendam. Quibus in dolis & mendaciis etiã fuit rogatus cauſam, cur in hoc corpus inuaſiſſet, & miſellam adeò torquêret mulierculam. Nam primùm cauſam eſſe dixit in genere, peccatũ. Deinde, peccatũ celandũ. Pòſt, peccatũ quod non confeſſa eſſet ſacerdoti mulier. In qua reſponſitandi tam multiplici luſoriáque repetitione & varietate Præſul tandem

rogauit, an vbi confeſſa illa eſſet, ipſe emigraret. Sed vafer cunctator, cùm non ſuccurreret quo mẽdacium tueretur, obmutuit. Sic multa & varia ſubinde attulit, interpellatus de tẽpore & hora emigrandi, déque ſigno dando, & de via partéque qua eſſet tranſiturus. Nam ſe tunc emigraturum dixit, ſanâque & incolumẽ fore mulierẽ, ſi Album daret. Album verò Euchariſtiam intelligebat. De qua cùm ambigeret Præſul, Eccleſiaſtæ Theologi ſententiam eſt percontatus. Is autem non porrigendã ei Euchariſtiam dixit, niſi priùs confiteretur culpas ſacerdoti. Quod vt commodiùs fieret, ſcelerato ſpiritui Præſul imperauit, vt tormentis finem faceret, quietámque illam eſſe fineret, ad eluendam animi conſcientiam.

Signũ emigraturi Dæmonis.

Album pro Euchariſtia.

CAP. 18.

Nicolea ſacerdoti confeſſa culpas.

Reliquiarũ Diui Dionyſij vis.

Culpis in aurem Franciſcani, Catholicorum more, expoſitis, ad Præſulem redit: qui ſanè Præſul venerandas ei appoſuit reliquias: nonnullam videlicet Diui Dionyſij particulam capitis, è celeberrrimo illo ſacrarum virginum cœnobio allatam. Cuius contactu mulier ſe transfixam fuiſſe poſtea commemorauit, & maximè quidem, cùm ad frontẽ theca aperta eſt appoſita. Sacroſancta quoque addita eſt Euchariſtia, cuius virtute nefarius ille vehementiùs vrgeretur, ad exponendam omninò & verè cauſam, cur mulierẽ occuparet & torquêret. Ac tum denique verã expreſſit cauſam ad hũc modum, Gallico idiomate. *C'eſt pour la gloire de ton maiſtre.* Nos ſic Latinè, Ob gloriam tui Domini.

Vis ſacramenti altaris.

Idipſum iterum ac tertiò ſimiliter eſt locutus, Præſulis coactus diuino imperio. Et cũ poſtremum hoc repeteret, mulier ad populũ conuerſa erat, & explicatiùs loquebatur. Summo igitur & ſolatio & gaudio tum quiſque fuit affectus.

CAP. 19.

Sed nullum aſtutiæ modum certum ponebat impoſtor verſutiloquus, qui cùm ſe nihil aſportaturum in emigrando dixiſſet, recantata palinodia, ſe lapidem ablaturũ, & ſurſum euecturum poſtea aſſerebat: Signum etiam fore, reſtinctum à ſe cereum, cùm emigraret, & ſignũ quoque fore, cùm pedem mulieri diſcalceaſſet. Hæc erat in ſignis variandis biformis & obſcura amphibologia tam feræ & ancipitis beluæ. Cereum tamen ille extinxit, cùm ſe emigrare admonuit, & mulieri geniculatæ pedem diſcalceauit. Commonſtrarat feneſtram quandã vitream, rogatus quâ emigraret: quæ tum mulieri dextra erat, & ad auſtrum poſita, rubróque colore interlucente diſtincta. Eam verò feneſtram diligenter obſeruauit mulier.

Signũ emigraturi iterũ datum.

CAP. 20.

Nam cùm Reuerendus Pręſul omnes abſoluiſſet exorciſmos, quos multo tẽpore non interrupit, hymnoſque diuinos & orationes toto adiuuante populo compleſſet, & Chriſti Ieſu corpus venerandum protuliſſet in mediũ, eiúſque intentaſſet virtutem & potentiam ad conuellendum diſturbandúmque tantum hoſtẽ, tum & eam feneſtrã non temerè obſeruaſſe

ſenſit : & permagnam ſui prodidit mutationẽ. Inflato enim ore & vultu illa apparuit, cæteríſque partibus ori adiacentibus: & extima eius linguæ pars, ore aperto viſa eſt craſſior eſſe & rotundior, quàm ſolita eſſet. Quæ rogata etiã, quid ea de re ipſa cenſeret, ait ſe tum quiddam ſenſiſſe, & exiiſſe ex ore ſuo quidpiam, quod villoſum & hiſpidum ſibi videretur: atque inter Reuerendi Præſulis preces ſe adeò debilitatam & deiectam fuiſſe, vt vires omnes deficerent: denique & dixiſſe illum ſe emigrare, cùm cereum reſtingueret, quem ipſa manu aliquandiu tenuerat. In quo ſanè temporis articulo, & in feneſtram illam vitream, quam obſeruarat, oculos intenderit, & auem turturem in ea viderit; de qua & cæteri, qui aſtabant, certiores quoque facti ſunt.

Signa horridi Dæmonis.

CAP. 21.

Hæc dicebat mulier, totis propè deſtituta viribus: & paulum vini ad ſe corroborandam poſtulans, eúmque teſtificans emigraſſe, plorans ac obſecrans, & iam ſeipſam, non illum loqui aſſerens. Permulti tamen inducere animum non poterant, vt eum exiiſſe crederent, quòd ſuarum virium ſigna quædam & veſtigia in mulieris corpore reliquiſſet, quanquam illa ſibi benè eſſe diceret, Deúmque laudaret. Præſul igitur, cùm hora iam eſſet pomeridiana, & diligenter omnia perpendiſſet, mulieri magna contentione & multis precibus ſacroſanctam poſcenti Euchariſtiam tandem porrexit: quam cum ſum-

Nicolea emigraſſe Dæmonem aſſerit.

ma animi demiſſione illa accepit: & è veſtigio ita incolumitati & bonæ valetudini viſa eſt perinde eſſe reſtituta, ac ſi nulla ægritudine laboraſſet, excepta quapiam corporis debilitatione. Simul cum ea, idem ſuſceperunt Euchariſtiæ ſacramentum vir eius, & patruus Ambroſius cognomento Regius.

Euchariſtiã ſuſcipit à Reu. Epiſcopo.

Atque hic quidem eſt lætiſſimus exitus huius ſuſceptæ narrationis, quo tertiam hiſtoriam concludimus, certiſſimam videlicet teſtem admirandorum corporis Chriſti in ſacramento altaris operum, & ingentium victoriarum, quæ eiuſdem corporis Chriſti virtute, de impuris & ſceleratis Dæmonibus reportantur. Omnia autem ſumma fide quæſita & collecta hîc expreſſimus. Etenim miſſæ ſunt Parochi huius mulieris certæ quamplurimæ literæ, aliorúmque nonnullorum, quæ rem teſtatam patefacerent: & quæ præterea in publico ſpectantium & audientium loco hac in vrbe geſta ſunt, omnia fideliſſimo nituntur teſtimonio. Quamobrem nihil iam potius à nobis commendandum Lectori videtur, quàm vt hîc attentiùs obſeruet, ac prædicet virtutem admirabilem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ſéque magis ac magis ad eam venerandam & colendam confirmet, fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam amplectendo, & pro ea modis omnibus propugnando. Quod cùm ſtudioſè & ſyncero verèque Chriſtiano animo faciet, ſimul & nefariorum Dæmonum fallacias & impoſturas obſeruabit ac vitabit,

Teſtimonia huius hiſtoriæ.

quibus humanas mentes, Deo ita permittente, vexant aliquando atque opprimunt. Sibi quoque in alieno malo & periculo profuturum ſtatuet exemplum, maioréque inſtruetur prudentia, diuino fauente numine aduerſus callidiſſimas & inſidioſiſſimas eorum artes & dolos exitiales. 1582.

Sequitur quarta maximi miraculi hiſtoria, & victoria corporis IESV CHRISTI *de principe Dæmoniorum Beelzebul, & de legione ei ſubiecto Dæmone, ſimulque de Aſtarothe præ metu exorciſmorum fugitiuo. Qui omnes è corpore Margaritæ Obryæ eiecti & profligati ſunt: idque Sueßione Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, tertio Nonas Maias.*

MARGARITA ENERGVMENA.

CAP. I.

NVNC ad quartam huius ſuſcepti operis hiſtoriam veniendum eſt, Antiſtes Opt. in qua non minor ſacroſancti corporis Chriſti virtus apparebit, aut hoſtis atrociſſimi oppugnatio remiſſior, quã in ſuperioribus. Et, vt credo equidem, etiam grauior apparebit, tametſi in mulierem quoque facta eſt, quæ paulò annis maior fuit, quàm proxima à nobis enarrata muliercula. Nam viceſimum quintum hæc agebat annum, cùm in hanc vrbem,

Deo duce, vt fauſtiſſimo auſpicio venit. Admirãda verò in hac expoſitione maieſtas Chriſti Ieſu corporis elucet, quod inſignem rectámque reportat victoriam, & lætiſſimũ poteſt agere triumphum de ſuperato Dæmoniorum principe Beelzebul. Qui ſæuiſſimus ſcilicet princeps, & inter alios Dæmones arrogantiſſimus, his aliquot antè annis, miſeram hanc mulieré, Margaritam Obryam cognomento, Paulo Obryo patre vinitore, & matre Claudina à cruce nuncupata natam occupabat & opprimebat. Itaque tandem ipſa è Beluacẽſi dioeceſi ei natiua patria egreſſa, ſolatium aliquod in afflictiſſima mente quærens, & totam ſe diuino cõmittens numini, huc appulſa eſt, vt medicamentum aliquod aut alleuamentum in deſperatiſſimo, vt rebatur, morbo inueniret. Et hic quoque annus eſt, qui in ſuperioribus, Milleſimus quingenteſimus octogeſimus ſecundus: eodem ſummo Roma. Pontifice Gregorio XIII. Catholicam Eccleſiam regente: & in his Galliis eodem Rege Chriſtianiſſimo Henrico, eius nominis tertio, nobis imperante. Ea verò mulier, vt rem altiùs iuſta de cauſa repetamus, cùm viceſimum ætatis annum ageret, in vico ruſtico, cui Villaria ſancti Pauli nomen eſt, nata, Syluanectum ſe contulit: vbi in famulitiũ Ludouici Thureani pannarij recepta fuit. Quo in famulitio cũ aliquantũ egiſſet tẽporis, inperatũ & miſerardũ hoc habuit infortuniũ. Intra Calendas & Nonas Auguſti mẽſis, ante Diui Laurẽtij feſtũ diẽ, quo etiã tempore

Ætas mulieris, cum Sueſsionem venit.

Genus.

Locus.

Anni à Chriſto nato.

Pontifex Rom. Rex Galliarum.

liberæ nundinæ Syluanecti frequentantur, viri duo cum muliere quapiam, criminis capitalis damnati, mortique addicti proponebantur. Ad quos ſpectandos hæc mulier miro ducebatur deſiderio, quanquã hera deterrente vehementer ab eo ſpectaculi genere. Itaque tanto incenſa illa ſtudio, tollens in amplexũ paruulum domi puerũ, ad id ſpectaculum pergit. Productos in crucem reos videt, quorũ ſecundum neci traditũ dum attentiùs ſpectat, tanta eſt animi perturbatione perculſa, vt ibi in pauimentũ exanimata conciderit. Quæ tamen pòſt recepto animo, collectiſque viribus, ope cuiuſdam ſuæ conſobrinæ domum reducta eſt.

Terrore perculſa Margarita, & exanimata.

Cap. 2.

Die autem Dominico inſequenti malè admodũ habens, cùm more ſuo domi omnia cõpoſuiſſet, ad putei domeſtici crepidinem acquieuit, puero ipſam eodẽ conſecuto. Quo in loco dum paulùm immoratur, ſpectrum inopinatò videt, atra cute oſtentatũ, eámque adhortans, vt puerũ in puteũ præcipitẽ daret, vel ſeipſam eodẽ deiiceret. Arreptum ergo puerum cùm deiectura eſſet, à tergo voce alia ſibi edita retrahitur, in hunc modum admonita, Quid tu actura es nunc, ô mulier? Si puerum deiicis, te quoque es præcipitatura: aut ſi tibi parcis, iudicum ſententia mortem ſubitura es. Quin tu potius heram proficiſcentem ad audiendum in æde Mariana ſacrum ſequere. Ei voci morem geſſit, tanquam bono & cœleſti genio. Sed in illa æde ſacra, dum ora-

Primũ ſpectrum ei obiectum.

tioni vacat, priorem audiit vocem illam funeſtam, quæ ſibi viſa eſt his verbis tum locuta: Quid huc veniſti, ô mulier? Deinde cùm ipſo in ſacro, Chriſti Ieſu corpus adorandum à ſacerdote oſtenſum eſt, vox quædam craſſior in Deum & omnia ſacra tunc blaſphema & impia in animum illi ſuggerebat: denique & improba impiáque perſuaſione, ſibi eius donari animam eadem illa vox poſcebat. *Impietas Dæmonis.*

CAP. 3.

Atque ex eo tempore mulier ſemper mœſta & deiecto animo, metuebat ne ſpiritus impius in ſe rurſum inuaderet. Itaque octo ferè dies cibo & potu abſtinuit, ea re diſſimulata, ne quid herum aut heram offenderet: & quòd non mediocriter ancipiti quoque cogitatione & mente diſtraheretur. Cuidam tamen lanariæ mulieri opus ibidem facienti ſe vehementer animo perculſam tandem prodidit, velleque ſe ad ſuos remeare dixit, quòd muneri & operi domeſtico obeundo ſatis eſſe non poſſet. Ita re hero & heræ prodita, Diui Laurentij die feſto, domum paternam repetiit, deducente eam matre, ab eadem illò antè accerſita. *Inedia mulieris.* *Margarita famulitium relinquit.*

CAP. 4.

Sed non deſtitit poſtea ægrotare ad feſtũ diẽ Diuæ Virginis Mariæ eiuſdẽ Auguſti menſis. Quo die de more prodibant incolæ eius loci religionis ergô, ad Diuam Virginem Mariam de monte, vulgò illic ita appellatam Et eò cum pleriſque vicinis ipſa quoque profecta eſt. In eo tamen faciendo itinere ſubinde retrahеba- *Peregrinatur.*

tur,quæ & proximè ad templi oſtium veniens atque accedens, diſtorta grauiter retinebatur: neque verò introiit, niſi vi intro impulſa. Ibi cùm ſe comparat ad orãdum ſtudioſiùs, vocem audit ſic ſe increpantem: O ſceleſta imprimis mulier,quidnam agis? Quid tibi Deus? quid virgo iſta Domina?& concionator iſte? Nam tu profectò mea es. His tam diris cogitationibus dictíſque miſerè agitata mulier in humũ ſe proſtrauit, quò libetiùs orationi tota incũberet. Ac perſolutis quidem votis, domum rediens,ſibi perſanata deinde videbatur. Poſt dies aliquot,velut libero iam & trãquillo animo, Syluanectum à patre reducta eſt menſe Septẽbri,receptaque in famulitium Ioannis cognomento Dulcis,mercium ſolidarij venditoris.

Vi introit in Eccleſiam.

Famulitiũ repetit.

CAP. 5.

Sed tertio die quàm eò recepta fuit, non deſiit ad eam interturbandam venire ſceleratus ſpiritus, qui horrenda & flagitioſa conſuleret. Hortabatur vt pueros, qui ſecum cubitarent, iugularet: & vt herum heramque ſomno captos trucidaret. Quæ nimirùm omnia poſtea vera eſſe ipſa eadem commemorauit. Neque quicquam tam impium aut ſceleratum fuit in cædendo,iugulando,rapiendo ac furando, quo non ipſa nullo propoſito metu impelleretur. Et omnia quidem iſta eodem illo in famulitio biennium & ſemiãnum illi tam turbidè accidebant, vt ſæpiùs vel inuitiſſima opus inchoatum abrumperet, & omnes rerum ſuarum, ac negotiorum domeſticorum curas procul abii-

Dæmon ſuaſor homicidij.

Margarita turbidè acta.

ceret. Dicam hoc loco, quale illi ſpectrũ in eis ædibus apparuerit. Coquina eſt ibi paulò obſcurior, in qua ſub horam nonam matutinam puellula ſe videndam illi dedit: candido veſtitu amicta erat, ſplendeſcens, & mirè compta feſtiuéque. Nam ſaltare quoque viſa eſt, nulla edita tamen voce. Cuius rei cùm certiorem heram facere non auderet, omnia mente arcana apud ſe comprimebat. *Aliud ſpectrum.*

CAP. 6.

Sed & aliud ei ſpectrum fuit in hortum herilem ingreſſæ, haud procul ab æde ſacra Diui Vincentij Syluæ nectenſis. Ei enim opus facienti his verbis ſæpiùs iteratis ſe obtulit: Nunc tu quidem mea es, nunc mea es, inquam. Quo dicto territa & obſtupefacta mulier, Súm ne, inquit, tua, vti dicis? Si tua ſum, non habeo quod contrà faciam. Me tamen tibi ipſa non dono, nec dedo. Eodemque illo momento temporis eam circumſtetit, atque ad aures obſtrepuit cum denſo & frequenti bombo apiariũ. Denique & in ſe quippiam tum ingredi ſenſiſſe ſibi viſa eſt. Itaque ſubitò exanimata & mentis impos concidit. Tandem etiam aliquando confeſſa eſt ſe tum quiddam ſenſiſſe mobile & ſaltatorium introrſum in ſe penetrans. Sed cùm primùm ibi ſe ab afflicta & perturbata ea mente erigeret, ecce hera præter ſpem interuenit, quæ nullius eiuſcemodi rei conſcia, in ceſſantem iurgare cœpit, otium ignauiamque immodicam illi exprobrans. Illa verò paulatim ad ſe rediens, vt ſtetit, heram *Initium occupandæ Margaritæ à Dæmone.*

multis rogauit precibus, vt ſe excuſaret, quippè morbo laborantem grauiſſimo: quem tamē morbum apertioribus verbis explicare non auſa eſt. Quapropter hera in eius vultum attētiùs intuita, cohorruit è veſtigio, & hæc illi tādem protulit: Aſpectus tibi eſt vehementer horridus. Omnes etiam, qui eo corporis habitu & vultu eandem contemplabantur, ſtatim conterriti, faciem ab ea auertebant. Sed hæc omittàmus.

Aſpectus Margaritæ horridus.

CAP. 7.

Eodem anno Milleſimo quingenteſimo octogeſimo, eoque Veneris die, qui Chriſtianis & Catholicis in ſumma & ſolenni religione eſt, heræ iuſſu ad ſacram audiendam concionem praditura, primùm ſe ferè in puteum deiecit, vt è lecto proſiliit, induſio modò veſtita, ſtimulāte videlicet nefario ſpiritu, intúſque illam his verbis alloquente: Mea es, ô mulier. Et eò inſaniæ adigebat, vt ſeſe deuoueret, animam dicans ac donans dæmonibus, ita per eius linguā loquente ſpiritu ſcelerato, qui perſuadere etiam conabatur, non ſe eſſequi hæc infanda loqueretur, ſed verè Margaritam ipſam: cui ſubinde repetebat, ſuam eſſe illam, vtcunque res haberet. Id cùm plurimum terroris incuteret, animū tamen non deſpondit mulier, ſed ſummo mane in Diui Reguli ſacram ædem profecta eſt, concionatorem auditura. Quo in logo cauillator ille ſpiritus permulta ei ſuggerebat indigniſſima: farinæ ſcilicet corruptorem concionatorē, & Apoſtolum quendem mirè elegantem eſſe:

Grauiſſima Dæmonis tentatio.

Dæmon concionatorem irridet.

Denique & Salpetrarium indigniſſimo viliſſimóque vocabulo appellitabat. Atque interim & in riſu & pudore anceps illa verſabatur, cùm in media populi turba eſſet, & necdum toto animi deſtituta iudicio.

Cap. 8.

Deinde reuerſa domum, tanto animi pauore perculſa manſit, vt in vinariam cellam iam ingredi non auderet, quòd illinc in puteum hiatus pateret, & impulſorem ſpiritum miſerè metueret. Cibo abſtinebat, tanto affecta languore animi, vt totum biduum nihil cibi attigerit. Pridie Paſchæ erat, quo quidem die profecta ipſa, vt culpas de more ſacerdoti confiteretur: nihil tamen effari potuit aliquandiu, adeò fauces illi opprimebantur. Tandem tamen vt magno conatu vox rediit, O Paſtor, inquit, vehementer animo ſum perculſa. Paſtor ad eam vocem nihil immoratus, cùm vel metum, vel dolorem quempiam corporis eſſe crederet, ſuo perfungi cœpit officio, rogauitque illam, quãtum potuit, & perpenſo eius animo, affectuque intentiſſimo, tandem confitentem abſoluit. Poſtero die, qui Paſchæ dies fuit, ad ſuſcipiendum verum Chriſti corpus acceſſit. Sed ibi tum acerrimè pugnandum illi fuit, cùm nunc ad fugam à Dæmone inſtigaretur, nunc ad eiiciendam ex ore Euchariſtiam ſacroſanctam. Et eò quidem conflictus eam adegit, vt à ſacerdote oblatum in os venerandum Chriſti corpus reiicere conaretur: & niſi manum ad os prudens Parochus appoſuiſſet, dum panis ſpecies intus

Alia tentatio.

Confeſſioni obſtat Dæmon.

Item obſiſtit Euchariſtiæ ſuſcipiendæ.

conſumeretur, planè reiiciebat. Id autem vulgo ignaro mirum fuit.

CAP. 9.

Sed & aliud ei ſpectrum poſtremo Paſchali feſto die eiuſdem anni M. D. LXXX. ſe obtulit, quod ſumptæ Euchariſtiæ tranquillitatem interpellaret. Panem in furnilli illa conficiebat: & ecce vir inopinatò apparet, atra & horrida cute, ingentique corporis proceritate, cuius vultus erat terrificus, & vox ita interpellans: Quid hoc verò eſt, ô mulier? Damnata enim es, quæ tali animo creatorem tuum Deum ſuſcepiſti. An non venit in mentem audiſſe aliquando concionatorem, qui diceret, Quicunque ſuſcipit & manducat corpus Chriſti indignè, iudicium ſibi manducat? An verò confeſſa es ſacerdoti furtum tuum? Racemos furtim iandudum abſtuliſti: & quod impium eſt imprimis, patri qui poſt te concurreret, impiè proterueque obſtitiſti, in eius quoque faciem inſiliens, eúmque ſuggillans. Hæc ille, qui perpetuas amat turbas, & animorum tranquillitati inuidet. Pater tamen mulieris hîc Sueſſione ea de re interrogatus, & de tanta illa natæ impietate, eam tum ſexennem modò fuiſſe dixit, cùm ita obſtitit, & faciem ſuggillauit: neque prouectiorem eius notauit ætatem. Vt autem ad ſpectrum illud redeamus, rogatum quidnam id eſſet, & quem ſe virum eſſe fateretur, admirandum hoc reſpondit, Eum ſe eſſe, qui tot olim malis Diuam Margaritam oneraſſet. Atque quidé opinor ſi

Aliud ſpectrum.

Alia tentatio ad deſperationem.

quid coniicere licet, illum ad hãc Magaritam alluſiſſe, quò præludium quoddam impoſturæ faceret. Sed pergo.

CAP. 10.

Tantis rerum prodigiis commota Margaritæ hera, poſtero die ſecubare eam iuſſit. Venit tamẽ eius ſoror Michaëla Obrya, vt ſolatio ſorori eſſet: quæ nouem dies eodem in cubili cum ea pernoctauit. Sed id periculo non caruit, cùm ſoror Margarita dæmoniaco furore concita eam accubantem ſtrangulare conata ſit, Quamobrem ipſam ſoror deſeruit, & heræ tãtum ſibi intentatum periculum denuntiauit. Deinde nihil non tentatum eſt ad eam obſeruandam, eiuſque valetudinem querendam & reſtituendam. Conſulti ergo ſunt medici: quorum cõſilio cùm phlebotomia & medicamẽto vſa eſſet, nihil tamen profecit, ſed peius poſtea etiam habuit.

Alia ad ſtrangulationem ſororis.

Medici accerſiti.

CAP. 11.

Itaque herus iam perſuaſus illam à Dæmonio opprimi, eam iuſſit ad Reuerendum Præſulem Syluanectenſem deduci. A quo Præſule primùm interrogationibus eſt tentata, ac deinde à dæmone verè occupari comperta. Præſul igitur vt eam fortiorem ac munitiorem in hoſtem redderet, Confirmationis ſacramento eam donauit, & corroborauit. Hoc tamen tam diuinum beneficium interpellare ac præpedire conatus eſt nefarius ſpiritus, qui propè in fugam illam coniecit, cùm id ſacramentum conferretur. Atque ex eo tẽpore,

Margarita confirmatur ab Epiſcopo Syluanectenſ.

Famulitũ deſerit.

cùm munus domeſticum obire in familia herili vix poſſet,ad paternas ædes ſe recepit, vbi & ſæpiùs non conquieſcente ſpiritu illo ſcelerato,diſcruciata fuit. Et tum quidem maximè diſcruciata,cùm quid diuini ac ſacri ſe offerret. Referamus igitur quod intellexiſſe nõ pigeat. Eius vici, vnde orta eſt, & quò ſe receperat, Syluanecto egreſſa, populus ſolenni ritu ſupplicationes palàm faciebat,ſacris,vt moris eſt, eodem publicè delatis. Qui cùm ante paternas eius ædes tranſmearet, ſpiritum nefarium adeò prouocauit, vt grauiùs eam tũ afflixerit, quaſi & ipſe, vt credere eſt, acerbiùs quoque diſtorqueretur.

Dæmon ſupplicationibus irritatur.

CAP. 12.

Ac eo quidem malo, cùm miſera videretur mulier, aliud etiam malum diuino permiſſu illi accidit.Nam vterque eius parẽs morbo cœpit laborare,quorum ope & ſolatio iuuabatur. Itaque tum deſtituta omni ſpe atque auxilio videbatur,& profectò ita erat,niſi in tantis anguſtijs eam auunculus euocaſſet, qui Chantilliaci eſt incola. Ad quem ægrè admodum profecta eſt,& ſola & ſine amico vllo comite. Eo in loco clariſſima eſt & nobiliſſima illa heroina,quæ præſtantiſſimi illius Annæ Mõmorentij,cuius adhuc nomen in ore omnium eſt, cõiux fuit. Eique Margarita ab auunculo adducitur. Quam vt vidit illa, ſtatim eſt miſerta nõ mediocriter:& vt clementiſſima eſt mulier ingenio,mentéque religioſiſſima,cùm humaniſſimè eam accepiſſet, aliquanta deinde pecuni

Heroina clariſſima Annæ illius Mommorentij vxor.

ei numerata eſt:qua ceu viatico ei dato,ad Pręſulem Beluacenſem deduceretur, periculum in ea pro ſua autoritate facturum, an verè à dæmonio etiamnum opprimeretur. Ad eum igitur deducta eſt, tunc in illo celeberrimi nominis Brællæo caſtro agentem, quod ſexto à Beluaco lapide poſitum eſt. Quo in loco Præſul ipſe impurum ſpiritum diuinis exorciſmis eſt aggreſſus,neque verò id ſemel tātùm,ſed quinquies eſt periclitatus. *Margarita deducta ad Epiſcopum Beluac.*

Cap. 13.

Sed re non ſuccedente,Beluacū in cœnobium Dominicanorū ea mittitur, apud quos circiter viginti manſit dies. Eóque temporis ſpacio ſæpiùs eſt tentata exorciſmis, nunc eos ſcilicet agente Milleto Theologo Doctore, nunc alio Dominicano ſacerdote. Verùm nihil ferè memoria dignū illic editum eſt, præterquàm hoc vnum,quód ſcriptum à Dominicano, memoriæque mandatum, etiamnum eſt penes Decanum Eccleſiæ Beluacenſis, virum prudentiſſimum. Id autem tale eſt. Spiritus ille Latinè interpellatus, vt è mulieris corpore emigraret, Latinè quoque reſpondit his verbis: Non recedam,non recedam. Hîc habitabo, hîc habitabo. Atque hæc quidem voce mulieris, Latinè neſcientis. Non deerant, dum hæc mulier apud Dominicanos eſſet, qui muſſitarent, parumque ei cœnobio decorum id exiſtimarent. Itaque ad Præſulem illi adeunt, populi opinionem & obtrectationē denunciantes. Abducta eſt ergo *Ad Dominicanos reijcitur.* *Dæmon Latinè reſpondet.*

Liberalitas Epiſcopi Belnacenſis. *Medici tõſulti.*

inde mulier, & in Ioannis Fabri ædes recepta, apud quem menſem & triduum egit ſola, deſtitutáque parentum ſocietate. In alimoniam eius aſſes triginta quotidie Præſulis impenſis conferebantur, & lignum etiam quantum ad focũ eſſet ei opus. Atque, vti iam diximus antè conſultos fuiſſe medicos, ita & hîc rurſum accerſiti & conſulti ſunt. Mulierem illi ſeuocatam in hortum quempiam cùm interrogaſſent, de communi tandem ſententia decreuerunt eam obſtetricibus tribus eſſe committendam, honeſta quoque eis adiuncta matrona, vt earum iudicio intellecto, mulieri quid expediret, conſtitueretur. Inſpecta eſt ergo mulier, & excuſſa vndiquè diligenter, toto nudata corpore: cuius & raſi omnes omnium membrorum ſunt pili. Comperta eſt virgo, illibato eſſe corpore, atque ita obſtetricum matronæque teſtimonio comprobata. Id quoque ſcripto eſt mandatum, depoſitumque in manus Decani Beluacenſis Eccleſiæ. Sed nihil ea diligentia profuit.

Margarita virgo cõperta.

Cap. 14.

Remittitur ad ſuos Margarita *Poteſtas adiurandi conceſſa Parocho.*

Itaque inchoato iã anno nouo, toto vno menſe, M. D. LXXXI. cùm Beluacenſis Præſul exiſtimaret mulierem fortè iuuari poſſe, vel conualituram mutato cœlo & ſolo, eam ad natale ſolum reduci iuſſit. Et exorciſmorum librum Parocho eius loci miſit. Is erat Frater Iacobus Cornoyus Franciſcanus. Qui & libro eo accepto, & autoritate in id negotium accepta à Præſule, primùm mulieri tempus

ad ſacrum audiendum ſtatuit. Atque is dies Lunæ fuit, qui proximè Dominicam Quinquageſimæ ſequebatur. Adducta eſt igitur mulier à quinque aut ſex viris, & ad maximam aram, tametſi reluctans, eſt compulſa. Eius lingua ex ore exerta ſub mentum propendebat, fauces erant turgidæ, & clamores immodici ab ea ſupra naturam reddebantur: eóque habitu corporis, ſacro interfuit. Inflecti tamen non potuit in genua, tametſi multis & adhortantibus & adnitentibus vt id faceret. Id quod illi perſeuerauit, quandiu eo loco apud ſuos manſit.

Cap. 15.

Sed miro quodam modo in Franciſcanum agitabatur, aduerſus eum non ceſſante nefario ſpiritu ſtimulos addere. Metuebat videlicet hoſtem ſibi comparatum, & qui ſuo quodam more ſacro peracto, ad populum interpretari quidpiam de Euangelio ſoleret, maximéque eo Euangelio, vbi Iudæi recenſentur Chriſto Domino exprobraſſe, quòd in nomine & virtute Beelzebul, dæmonia è corporibus eiiceret: quo quidem tempore grauiſſimè illa ab immundo ſpiritu affligebatur. Etenim pedibus & calcibus nunc in crura, nunc in ſtomachum iactatis, Franciſcanum truculenter appetebat, eum conſputans, & nihil omittens iniuriarum, cùm in officio nuſquam ſibi ille deeſſet. Sæpenumerò poſt Euangelium expoſitum, mulieri edendam proponebat hoſtiam, quam verbis ſanctis affeciſſet: ſed illa in os

Euangelica Lectionis vis.

Sacratorũ digitorum vis. nunquam eàm demittebat. Quòd ſi nolenti, vi ſacratorum digitorum os aperiretur, panem immiſſum reiiciebat, eum in Franciſcani faciẽ, vel in terràm excutiens: & plerunque retentum eò vſque geſtabat, dum vel in cœmeterium, *Panis benedictus reiectus.* vel aliam quamuis viam publicam ac prophanam eundem expueret. Et ſi quando fingeret Franciſcanus eum panem, quem mulieri edendum proponebat, ſanctiorem à ſe factum eſſe, *Communis acceptus.* perſpicax ille explorator ſpiritus, promptè quidem ac libenter excipiebat, ſed cum nictatione oculorum, nimirùm falli ſe non poſſe, qui aſtutè omnia ſpecularetur & peruideret.

CAP. 16.

Duos panes, duáſque hoſtias quantitate & rotunditate pares dignoſcebat, alteram, videlicet prophanam admittens, hoſtiam, prophanúmque panem: reiecto ſanctiore pane, ſibi vtcunque vel ſimul, vel per vices oblato. Eadem *Dæmonis mira ſagacitas.* quoque ſagacitate in vino, aqua luſtrica vel prophana temperato, vtebatur, vel in iu ſculo aliquo ſibi ſimiliter appoſito. Nam cyathũ, in quo ſanctius quicquam ineſſet, minutim conterebat, & ſcutella eodem iudicio perrumpebat.

CAP. 17.

Franciſcanus igitur videns cum tam callida vulpe ſibi certamen eſſe, & non ignarus haud procul ab eo loco eſſe Milletum Theologum, hominem eruditione & rerum eiuſmodi peritia commendatum, de quo iam antè attigimus, multis ab eo contendit precibus, vt eò proficiſ-

catur. Venit vir modeſtus, alienæ ſalutis non minus quàm ſuæ perſtudioſus, & ſacro ibidem peracto, exorciſmos inchoat. Quorum exorciſmorum facto ſtatim initio, mulier in tam immanem erupit clamorem, vt ad remotiſſimas eius loci ædes penetrarit. Cui rei teſtes plus mille aderant è vicinis & circumiectis locis. Poſt eos clamores, velut extincta funditùs concidebat. Neque melius aut promptius ei malo remedium inuentum eſt, quàm corporis Chriſti Ieſu contactus. Nam ſulphur & ruta verbis ſactis expiata, & ſuffitus inde odorandus nihil profecerunt, cùm nihilominus exorciſtam ſceleratus ſpiritus ſputo proiecto conſpurcatet, neque ad exorciſmum reſponderet. Sed nec ſacroſanctã ſibi Euchariſtiã miniſtrari patiebatur, nec imperium, necquicquam aliud placidè & modeſtè ferens.

Milletus Theologus hic exorciſat.

Clamor immanis.

Sacramẽti altaris vis.

CAP. 18.

Ab inchoato tamen primo exorciſmo Franciſcanus bis quotidie, manè & veſperi, publicis ſupplicationibus operam dabat: deinde redibat ad continuandum exorciſmum, quo tandem coëgit nomen edere. Et nomen ſuũ Beelzebul eſſe dixit. Id nomen ſumpta chartula inſcripſit, ſimul tamen & chartula & calamo atque atramento expiatis, ac poſtea chartulam exuſſit: Quo quidem nomine inſcripto con flagrante, miſerè mulier torquebatur, nunc lingua exerta, expanſaque, & ſubinde aſtricta, deinde inuerſa & præpoſterè oſtentata: quæ &

Supplicationes crebræ.

Beelzebul hic.

Chartulæ inſcriptæ combuſtæ. nunc immanibus ad terrorem oculis vndique ſpectabatur. Itaque Franciſcanus hoc commentum excogitauit. Multas ſimul chartulas variis pro arbitrio vocabulis à ſe inuentis inſcripſit, quarum in vna illis admiſta, etiam Beelzebul nomen annotauit. Cúmque fictitiæ ſimul exurerentur, ridens ac iocans illudebat ſed cùm Beelzebulica de ſuo nomine conflagraret, dici non poteſt, quantis modis miſera mulier diſtorqueretur, riſu in luctum commutato, adeò vt vix à ſex robuſtiſſimis viris coërceri tum poſſet, quorum alios ad terram proſterneret, alios à ſe procul diſpelleret. *Margarita diſtorquetur.* Sæpiùs quoque Franciſcanum humi calcibus petitum afflictúmque indigniſſimè multabat: in quem & calceos proteruè è pedibus excutiebat, ruptis funiculis quibus illigabantur.

CAP. 19.

Non prætermittam hoc loco, quantum illi virium ſpiritus ſceleratus adderet. Inter ſacrum faciendum, cùm ab ara ſacrificij quintũ aut ſextum circiter pedem abeſſet, & coërceretur aſtrictiùs à pluribus, ne quid interturbaret, poſt calicem populo oſtentatum, in aramque à ſacerdote depoſitum, tam repentino præter omnium ſpem iactu calceum reſticulis alligatum, pedeque excuſſum, in aram proiecit, vt inter ſacrificium & calicem rapidiſſimè tranſiluerit, tantoque impetu in æreum incurrerit candelabrum, vt ipſum fregerit ac diſruperit, quanquam valdè ſolidum. *Candelabrum ære ũ fractum ictu calcei.* Idque vt diuinum quiddam ac memorandum ab incolis eo loco

conſeruatur. Eſt etiam ibidem vas quoddam gradius ad aquam luſtricam capiendam, quod vix quiſquam vel imprimis robuſtus loco moueat: id tamen mulier ictu pedis tranſuerſo inuertit, effuditque & deiecit. Quæ ſanè omnia tam prodigiosè acta, ſpiritus ſcelerati eſſe opera teſtificantur. *Pedis ictus.*

CAP. 20.

Quodque mirum fuerit & legenti & audienti, ipſa eadem mulier plærunque arcana, humano ingenio alioqui non percipienda, nullo negotio prodebat: & ſæpè quæ Franciſcanus apud alios eſſet locutus, planiſſimè commemorabat. Is ergo & ſpe fallendi nonnunquam librum exorciſmorum ſecum latentem deferebat, & vt periculum quoque certum eius aſtutiæ faceret. Cumque illi minitabundus diceret aliquando, miſſurum ſe, qui librum exorciſmorum afferret vt eum meritò exagitaret, ille ſtatim reſpondebat, mittendum neminem, cùm penes eum liber iam eſſet. Idem quoque diiudicauit & in allata aliundè cruce, quæ linteo craſſiore amicta erat, vt mos eſt amiciendi Quadrageſimæ tempore: & in qua inerat etiam particula veræ Chriſti crucis inſerta & arte recondita. Sibi enim oſtentatam ſpiritus ille impurus non eſſe eius loci crucem dixit, & in ea latêre particulam veræ crucis Chriſti. Ita nimirùm noſtris commiſſis, bona fide retulit Franciſcanus, & ſe vnum fuiſſe conſcium eius crucis, quæ aliundè allata erat. Eodem quo hæc geſta *Arcana percepta à Dæmone.* *Cruces diiudicatæ.*

ſunt die, venit etiam quidam ex iſto Nobilium ordine, qui nouem hodie verbis profitetur religionem: qui ad Franciſcanum accedens, in aurem inſuſurrauit quid ſibi de muliere videretur. Et hanc rem ridiculam & ſtolidam dixit, multáque alia eis ſolis tunc intelligenda, cùm remotior ab eis eſſet mulier. Quæ tamen vt domum reuerſa eſt, omnia Franciſcano ad eam domum ingreſſo hiſdem verbis, quibus ille in aurem fuerat locutus, retulit. Sed non tacebo etiam hoc vnum de iſto genere hominum, qui militiam conſectantur. Erant in eo vico milites, ſed ita procul ab ea, vt nec audire, nec intelligere quid dicerent, ipſa poſſet. Quæ tamen colloquebantur, & maxime quæ pro ſuo more, blaſphemo ore frequentiùs & licentiùs effundebant, ipſa humi deſcribebat, vel ſi non poterat humi deſcribere, in ſinum incumbens, ſcripto vtcunque poterat mandabat. Verùm nunc ea omittentes, ad alia, quæ ſanioris animi fuerunt, veniamus.

Recitatio arcanorum ab Energumena.

CAP. 21.

Voluit mulier eo die, qui paſſionis Chriſti nomine inſignis eſt, culpas ſuas apud ſacerdotem confiteri. Et confeſſa quidem eſt, ſed ægrè admodum, abſente ſæuo illo & ſcelerato ſuo hoſpite, qui in Flandriam, vti commonuerat, emigrarat ad inſtigandos iuuandóſque ſicarios in mercatorem illac tranſeuntem. Per eam enim abſentiam tranquilliore animo fuit Margarita. Sed reuerſo poſtea crué

Confitetur ſacerdoti Margarita.

Dæmon excurſor.

tiſſimo hoſpite, tota eſt publicè immutata in deterius. Nam die Ramorum, quibus feſta omnia & læta Chriſtiani conteſtātur, nullum ipſa ramuſculum contingere voluit, & eos qui geſtarent ramos, riſu impudenti & planè fanatico excepit. Fuit tamen ſedatiore animo, quarto ab illo die, qui Iouis dies erat, cùm & mentem cōfeſſione ipſa eluerit, & ſacroſanctam ſuſceperit Euchariſtiam. Atque hæc quidem ſunt eo loco potiſſimùm geſta, & huc ab eodem Franciſcano miſſa.

Ramorum dies.

Euchariſtiā ſuſcipit Margarita.

CAP. 22.

Cui tandem hoc importunè & incommodè accidit, vt armis ſuis ſpoliaretur, repetito videlicet exorciſmorū libro, qui Beluacum reportaretur. Etenim ita velut exarmatus, robur elato nefarióque ſpiritui addidit, qui poſtea mulierem maiore agitauit licētia. Quod cùm proculdubiò parentibus acerbiſſimū eſſet, nouum inierunt conſilium de illa Beluacum reducenda, vt in tanto negotio ſummū tandem & extremum facerent periculum. Ergò illò proficiſcuntur circa Paſchalia, cùm iam annus eſſet à Chriſti natiuitate Milleſimus quingenteſimus octogeſimus ſecundus. Verùm mulier paucos illic morata eſt dies, cùm Præſul, re diligentiùs attentiúſque, vt credibile eſt, conſiderata, ampliùs in tam perplexo negotio morari & herêre noluerit, ſed eam ad ſuos iuſſerit reuerti, aliquanta ei numerata pecunia, rem totam diuino arbitrio committens: & eidem Margaritæ ſuæ ouiculæ eam indulgens, quam vellet poteſtatē

Beluacum reducitur.

Reuertitur ad ſuos.

liberam, quocunque ſe ad auxiliũ implorãdum recipiendi. Neque profectò ex eo die vllam aliã ingreſſa eſt illa Eccleſiã, quàm ſuam natalitiã: &pòſt aliquantò celebrem illam peregrinorum acceſſu Beatæ Mariæ Virginis Lætitiæ, & Laudunenſem inſignem Eccleſiam. Eò verò comitante vtroque parẽte profecta eſt, vt malo tam diuturno ſolatium aliquod Deo propitio aliquando inueſtigaret. Iter autem fecit, non interpellante ſpiritu, ſat commodè donec propinquus eſſe cœpit locus ille Lætitiæ ad quatuor milliaria. Etenim ibi repreſſa & præpedita mulier velut obiecto repagulo, vltrà progredi recuſauit: & tanta quidem obſtinatione recuſauit, vt niſi quis interueniſſet, qui ſcelerato ſpiritui imperaret, iter non eſſet confectura. Sed diuino inſtinctu ſacerdos ex eo rediens loco, ad quem pergebant, re intellecta, & ſpectata muliere, impuro Dæmoni autoritate diuina imperauit, vt eam ſineret proficiſci quò deſtinârat. Cui imperio Dæmon, quantumuis impius, tamen vel nolens morem geſſit. Itaque mulier cum vtroque parente quarto Nonas Maias eius anni M. D. LXXXII. Lætitiæ oppidum ingreſſa eſt. Sed ad priſtinam ſæuitiam truculentus ſpiritus rediit, miſeríſque modis ipſam diſtorſit, cùm in ædem ſacram eſt deducta, vbi tamen ſacrum audiit.

Peregrinatur ad B. V. Mariã Lætitiæ.

Recuſat progredi.

Dæmõ obtemperat.

Si torquet poſtea grauiter.

CAP. 23.

Eodem autem loco dum intentiſſimis animis Deum comprecantur, & beatiſſimæ Virginis opem fauorémque implorant, ecce ad eos

accedit qui lętum nuntium attulit. Eis commemorat ille nuntius, eſſe Sueſſione Præſulẽ, qui diuina autoritatẽ & beneficentia tali morbo remediũ paucis antè diebus nonnullis cõtulit. Nã bis iam liberaſſe adoleſcentulũ ab impuris ſpiritibus, & mulierẽ etiã liberaſſe. Quamobrẽ ſpe cõcepta, ceu fauſto ac fœlici dato auſpicio, & narrata auditáq; Pręſulis ſumma humanitate & clementia, illicò itineri ad hanc vrbem ſe committunt. In quo conficiendo itinere, Laudunum ſe ſpectandum dedit. Adeunt igitur, & arduum illum Lauduni montem ſcandunt, vt celeberrimum eius vrbis templum ingreſſi, orationi vacent. Verùm interim ſceleratus ille & circumſpectator ſpiritus, qui meminerat quantis fuiſſet aliquando exorciſmis in eo templo exagitatus, ſtatim conſpecta eius ampliſſima eminentíque ſtructura: Cur, inquit, eò me nunc deducis, vbi tot malis actus antea & oppreſſus fui? Hæc nimirùm ille mulieris lingua, cùm tamen mulier, quam occupabat, nunquam pedem eò intuliſſet. Ergo vt ad templi valuas ea adducta eſt, repentè vociferari & vlulare cœpit, toto nixu reſiliens, & pedes tanto in portam incutiens impetu, vt procul à ſe reiecerit qui ſe comprehenſam tenerent. Vi tamen intrò tandem impulſa eſt. Deinde fuſis exolutiſque precibus, repetito itinere peruentum eſt eo die in vicum Chauignonum. Eſt hic locus ſex diſtans ab hac vrbe milliaribus. Et ſibi tunc non temperauit ſceleratus ſpiritus, ſed tragœ-

Lætus nuntius.

Demõ fatetur ſe Lauduni diſcruciatum.

Demonis impetus.

diam nouam inchoauit. Dum igitur tragicè & atrociter ibi mulierem excruciat, vir quidam ignotus ingreditur, mercatoris habitu, qui & mulieri aſſedit. Paulò verò pòſt rogatus an ſacerdos eſſet, cùm negaſſet ſe ſacerdotem eſſe, talique habitu non veſtiri ſacerdotes diceret, veterator ille & perſpicax ſpiritus, Mentiris, inquit, fœdiſſime pædico: & ſimul cum dicto in eum conatus eſt irruere: tātóque terrore ibidem eum affecit, vt attonitus illicò ſe ſacerdotem eſſe profeſſus ſit.

Agnoſcitur ſacerdos diſſimulato habitu.

Cap. 24.

Poſthæc ingreſſi viam ad hanc vrbem, quarto Nonas veniunt, eodem quo diximus anno M. D. LXXXII. circiter horam ſextam veſpertinam. Sed ante introitum in ſuburbium huiuſce vrbis Vedaſtinum, mulier cogente ſpiritu præcipitem ſe dare conata eſt in foſſam ſuburbij, aqua non modica profluentem. Seruata tamen eſt, & portas ingreſſa, quia nox opprimebat, in diuerſorio, cui Diuæ Reſtitutæ ſignum eſt appenſum, omnes pernoctarunt.

Ingreditur ſuburbium vrbis Sueſs. Margarita.

SECVNDA PARS *huius hiſtoriæ.*

Præfatio.

Et hæc quidem velut externorum narratio eſt: nūc verò ad domeſtica veniamus, quæ huius hiſtoriæ maxima & imprimis memorabilia ſūt Eſt enim huius in noſtram vrbem

mulieris aduentus,ceu diuino arbitrio immiſſū & propoſitū quoddā argumentū, in quo cœleſtis virtus exercita ſit, & fortiſſima inuictiſſimáque approbata. Diuinæ quoque bonitatis fauor quidam eſt ſingularis, quo noſtram hanc vrbem immortali beneficio proſequi Deus voluerit: quique miſellam & vagam mulierē tanto iam temporis ſpatio ad miſericordiam alicundè conſequendā anhelātem, huc direxerit. Ea ſcilicet ſunt cœleſtis numinis arcana & incognita nobis conſilia, quibus ſe non quibuſuis nec paſſim ſemper exponit, ſed quando & quibus conſtituit ac libuit. Nouit autem Deus Opt. Max. quàm vetuſta ſit huius vrbis ſyncera religio: cuius patres qui eam docuerūt à ſe miſſos, tot monumentis iam decorauit, vt impium ſit eorum non meminiſſe. Æquum eſt igitur, vt huius vrbis antiqua laudatáque pietas, & tot ſacrorum locorum ceu genij ac Diui à Deo cōſtituti & dati cuſtodes ac rectores, cenſeantur hoc in negotio permultum apud Deum valuiſſe. Sed maxima & propè vna virtus hîc commendatur, quæ eſt Chriſti corporis in ara à ſacerdote conſecrati, cuius & victoria & triumphus de hoſte Beelzebul debellato & profligato nunc celebratur. De quo, vt planiùs enarremus, ad ea quæ reſtant huius hiſtoriæ progredimur.

Cap. I.

Menſis Maij tertio Nonas eiuſdem anni Milleſimi quingenteſimi octogeſimi ſecundi, Margarita Obrya, vtroque parente comitata,

ædem diuorum Geruaſij & Protaſij Sueſſione auguſtiſſimá, dum ſacra in ampliſſima eius ara fierent, ingreſſa eſt. Ibi parentes eius cùm ſui aduentus cauſas declaraſſent, natámque omniũ oculis viſendam exponerent, ardêre ſe quoque dicebant incredibili deſiderio adeundi, ſi quà liceret, Reuerendũ noſtrum Præſulem, cui ſuũ dolorem aperirent, natæ opem commiſeratio-némque implorantes. Itaque re intellecta, Ioan. Pinſonius, qui ibi aderat, & Petrus Moreau, vir pius & eruditus, ad Præſulem pergunt, rémque totam enarrant. Quæ proculdubiò omnia humaniter & beneuolè Præſul accepit, vt nimirùm ſemper erga omnes eſt & facillimus, & humaniſſimus. Sed vnum videre ſe, quod ſcrupulum iniiceret, reſpondebat, mulierem hanc alienigenam eſſe, nempè Beluacenſem. Satius igitur fore, vt ſuo committeretur Epiſcopo. Ad ea ergò parentes acceſiti, retulerunt hoc negotium Beluacenſi Præſuli notum eſſe, qui mulierem tanta ægritudine liberare iam tentauerit, quique domum remiſerit, cùm nihil proficeretur: & indulſerit eidem, vt à quocunque poſſet, morbi remedium liberè peteret. Ea re intellecta, Præſul ingenio humaniſſimus, & à multis quoque piis viris interpellatus, vt id negotij non detrectaret, plæriſque dictitantibus, variis diſtrictum eſſe negotiis Beluacenſem Præſulem, & nihil eſſe quod quiſquam quæri poſſet, pollicitus eſt quicquid officij & operæ in eo

Margarita in æde Diuorum Geruaſij & Protaſij Sueſſion.

Nunciatur eius aduentus Reuer. Epiſcopo.

Parentes accerſiti.

præſtare poſſet: ſe tamen annis grauem, & necdum planè à morbo conualuiſſe, itaque metuere ne tanto ſuſcepto oneri ſuccumberet. Sed ad ea reſponſum eſt, nihil iſta parte periculi eſſe. Nam poſſe ipſum hîc tantum onus alij ferendum committere. Itaque tum Præſul comiter beneuoléque eo reſponſo accepto, poſtulatis acquieuit.

CAP. 2.

Antequàm verò accerſeretur aliquis, cui negotium hoc daret, mulierem ipſe videre voluit. Quæ ſtatim ei obuiam facta eſt, ſacram ædem ingreſſo, & primùm facie elata, linguáque ad mentum extimum pendula: deinde vociferans & vlulans, tanto omnibus incuſſo terrore, cum aſpectu horrifero, vt in eam intentiùs intueri auderet nemo. Ei luſtricam Reuer. Præſul aſperſit. Cuius vim vt ſenſit, tota viribus defecta, & clauſo ore atque oculis, tanquam exanimata concidit. Ad ſe tamen poſtea rediit: Atque id quidem ſatis eſſe viſum eſt Reuerendo Præſuli, ad teſtificandam Dæmonis infeſtantis præſentiam, quando nihil in rerum natura tale vnquam contingeret. Quamobrem accerſiri ad ſe Carolum Blendecium iuſſit, virum non moribus tantùm religioſum, ſed & profeſſione & habitu, cœnobij Marchiennarum in flandria, qui hîc apud nos iam ante multos menſes agit, declinatis vitatíſque bellorum periculis, quæ illic miſerandum in modum agitantur. Ei viro prouinciam huius negotij committit. Mulier autem, vt ad inſtitutum redeam, cùm

Aquæ luſtricæ vis.

Carolus Blendecius accerſitus.

Exorciſta inſtituitur.

ſacro intereſſet, variè diſtorta eſt, maximéque vbi Chriſti corpus & ſanguis de more à ſacerdote eleuari cœpit. Tunc enim proſiliēs crebro motu, & quaſſato capite, clamoréque immani edito, ita omnes terrore impleuit, vt aſpectum eius horrificum & planè ferinum vix vlli ferrent. Qui autē in eo ſacro Diaconi partes obibat, cùm aſperiùs illam torqueri ſentiret, luſtricam aſpergebat, cuius vi affecta, repentè animo linquebatur. Mirandum verò hoc eſt, ô Lector, tantum aquam iſtam luſtralem efficere, vt horreſcant ad eam Dæmones, cuius contactū quaſi fulmen protinus fugiant, & nos Chriſtiano nomine honorati, tam parum attentè illa vtimur, cùm hîc omnes doceat experientia, vnum id fuiſſe ad ſedandos mulieris cruciatus non minimum momentum & remedium. Sed ad rem inſtitutam, & ea quæ reſtant explicanda.

Eleuatio corporis Chriſti in Miſſa.

Aquæ luſtricæ efficacitas.

Cap. 3.

Sacro peracto, Reuerendus Præſul, Pontificio lineo veſtitu ſuo ornatus, & circumpoſita ad collum ſtola, atque ad aram accedens, è ciborio ſacroſanctam ſumit hoſtiam, mulierique oſtentat. Quæ vt vidit, illicò proiecto ſurſum corpore, & concuſſo capite tremulo, tantam vocem edidit, vt procul admodum exaudita ſit: & obuia quæque calcibus iactatis appetens, ore hianti in Præſulem quaſi mox vorandum efferebatur. Ita nimirum certum factum eſt periculum de ſcelerato in ea Dæmone. Et Præſul tum ad aram rediens, hoſtiam deinde ſuo

Corporis Chriſti oſtentati vis.

ſuo recondidit loco. Qua recondita factus iam alacrior ſpiritus ille, quaſi bellè ſecum tūc ageretur, horrorem depoſuit, vultúmque facetum & feſtiuum mulieri induxit, riſu & iocis ſibi licentiùs indulgens.

CAP. 4.

Deinde Blendecius ad Reuer. Præſulem ſe confert, vt ab eo audiat, quid ſibi oneris imponatur. Præſul animo ſuo ei explicato, & eo ſtudio, quo eſſet affectus, ſimul etiam valetudinis declarata & allegata infirmitate, munus exorciſtæ ei delegat. Quod ſanè munus libens ille ſuſcipit, vt & omnia ſibi imperata & cōmiſſa. Quare vt in vrgenti nec protelando negotio fieri eſt opus, maturè ac diligenter ipſe Blendecius locum & tempus interrogationibus faciendis conſtituit. Locus autem tum fuit, conclaue ædium arcani ſcribæ ipſius Præſulis. Nam ibi primùm interrogata eſt Margarita palàm, & in publico permultorum teſtimonio. Aderat Pinſonius Canonicus & Petr. Moreau, de quibus iam antea. Aderat & Nicolaus Viuarius Magiſtratus Latrunculator Sueſſione conſtitutus, Guido Peſcheus, mercator & ciuis Sueſſionenſis, aliique non pauci. Adrianus de cruce Regius Notarius, omnia quæ tractabantur, ſcripto mandabat ſumma fide & diligentia.

Blendecius exorciſta auſpicatur negotium.

Locus interrogationis.

Teſtes.

CAP. 5.

Quæ ſanè omnia Reuer. Epiſcopo tradita ſunt & videnda, & diiudicanda attentiùs. Itaque diē ille præſtituit pridie Nonas Maias, quo

K

Locus deſignatus primæ coniurationi.

diein Diui Ludouici notiſſimã ædiculam mulier ſub horam ſextam matutinã accerſeretur.

CAP. 6.

Ad eam igitur horam & Reuerendus ipſe adfuit,& adducta eſt mulier, egreſſa è Xenodochio:quę voce immani,& pauonum ſtrepitum imitante, omnia paſſim clamoribus implebat. Atque vt ad ædiculæ peruenit oſtium, conſueto furore agitata,pedes tanta vi impegit,emiſſo vlulatu,vt in fugam, qui obſiſteret,ſtatim coactus ſit. Introducta tamen eſt, & ſex viris adnitentibus,ad aram compulſa: quorum tamen robur, pedum proiectu illa ſuperans, procul à ſe arcebat. Quamobrem riſu inde captato, ſibi mirè blandiebatur ſpiritus nefarius, quòd tantam eis afferret moleſtiam. Atque ab ingenio non deficiens, ad cruciatus illicò reuertebatur, quibus miſellam affligebat, toto verſato eius corpore,deſpumantéque ore,& vibrata foras lingua, ſimulque concuſſo capite, ſpectaculo videlicet ad omnes exterrẽdos propoſito. Vnum tamen ei malo remedium fuit, aqua luſtrica aſperſa.

Margarita Energumenæ vox terrifica.

Cruciatur miſerè.

Aqua luſtrica ſedat motus.

CAP. 7.

Dum hæc fiunt, Reuer. Præſul orationi eſt intentus, & Blendecius ad ſacrum faciendum ſe adornat. Primùm verò aquã ſibi appoſitam diuinis verbis expiat:ſed interim mulier ſe miſerè agitat,quaſi intorto in Dæmonem iaculo, quo ſe ictum fateretur.Ea res Adriano Notario Regio cauſam attulit, vt caliculum ſtanneum aqua luſtrica plenum manu ſtatim corripuerit,

Deinde agitat Dæmonem.

quem dum ſacerdoti porrigit, mulierem aqua illa conſperſuro, repentino ictu pedis ipſa mulier de eius manu in terram excutit, aquamque effundit. Quo facinore tanquam præclarè edito, in riſum ſoluta eſt. Mirũ igitur variúmque fuit ibi Dæmonis ingeniũ, qui aqua effuſa gaudio exilierit, cùm dolêre vehementer teſtatus ſit in eadem expianda. *Aqua luſtrica effuſa humi ab Energumenâ.*

Cap. 8.

Nec eum dolorem intermiſit ſacro inito, ſed maximum ſibi eum eſſe docuit, vlulando & caput concutiendo, totúmque reliquum corpus in ſublime agendo, quando ſcilicet Chriſti Ieſu corpus eo in ſacro à ſacerdote eleuatum & oſtenſum eſt. Cui quidem ſacro faciendo teſtis interfuit Frater Ioann. Roſſeus, vir non ſolùm vita, & morum integritate religioſus, ſed & profeſſione: quippè qui cœnobita & Prior in præſtantiſſimo illo cœnobio Sueſſionenſi, quod Diui Ioannis ad vineas nomen gerit. Attulerat ille venerãdas Reliquias, quidpiam veræ crucis Chriſti continentes. Poſthæc Blendecius exorciſtam agens, iuſſu Reuer. Præſulis, ſumpto in manus exorciſmorum codice, primùm omnes eſt adhortatus vt orarent, robur à Deo Max. potentiſſimóque petentes in hoſtem prævalidum & cruentiſſimum, quem victum eſſe Dei virtute inuictiſſima oportebat. *Miſſa celebratur.* *Reliquiæ è cœnobio Diui Ioan. ad vineas.* *Oratio cõtra hoſtem.*

Cap. 9.

Itaque ab orationibus eſt auſpicat⁹, quę exor-

ciſmos antecedunt, & efficaces ſunt ad diuinā eliciendam opem in ſceleratos ſpiritus. Quibus peractis orationibus, cùm ad primam coniurationem peruentū eſſet, ſic Latinè Dæmoni imperauit: Pręcipio tibi, quicunque es ſpiritus im mūde in hoc corpore, per merita paſſionis, glorioſæ reſurrectionis, aſcēſionis, & aduentus Ieſu Chriſti filij Dei, vt oſtendas & dicas mihi nomē tuum proprium. Ad quod quidē imperium non aliud edidit ſignum ſceleratus Dæmon, quàm linguam mulieris atro colore exertam & turpiſſimam, digito ad terram neſcio quid deſignante, cum vlulatu & intempeſtiuo riſu, terna hac voce, He he he, repetita. Eo videlicet impudenti & Dæmoniaco riſu cauillante, & exorciſtæ illudente, qui tam cupidè eius nomen auêret audire. Præcepit igitur hiſdem verbis iterum, vt nomen effaretur. Sed neque aliud, quàm linguam in mentum proiectam, & vlulatum immodicum reddidit. Deinde cùm tertiò idem imperaret, quod cenſêret vrgendos eſſe & fatigandos Dæmones, pari clamore effuſè concitato, cum conſputare eſt conatus. Denique & quartò præcepit iiſdem verbis: quibus tamen addidit, Per virtutem & potentiam corporis & ſanguinis ſeruatoris Ieſu Chriſti, quod eſt in altaris ſacramento. Et præcipio, inquit, tibi ô Dæmon, vt nomen tuum nunc dicas. Eo quarto præcepto, tanquam ſummo & penetrabili telo adactus, lingua in mentum producta, ſic ter reſpondit, Beelzebul, Beelze-

Primus exorciſmus.

Dæmonis reſponſio.

bul, Beelzebul. Deinde ſacramento nouo adiuratus, vt palàm diceret, an ille eſſet, qui Nicoleam Obryam Vreuinenſem antè occupaſſet, & Lauduni tanta virtute expulſus eſſet, Se illum ipſum eſſe reſpondit. Poſtremò Latinè interrogatus quot haberet ſocios. Legio eſt, inquit. Quod cùm non ſatis ab omnibus intelligeretur, iuſſus eſt id denuò edere apertiùs. Itaque rurſum, Legio eſt, inquit. Sed & rogatus qua de cauſa in hoc intraſſet corpus, nihil reſpondit, neque deſtitit à torquendo, ſemper lingua exerta: nec ſub qua eſſet poteſtate edere voluit, ſed vlulatu terribili omnium aures perfundere, & linguam perpetuò proiicere, ad omnes occaleſcens interrogationes.

Dæmonis nomen.

Legio cum Beelzebul.

Cap. 10.

Quamobrem exorciſta nomen Beelzebul in chartula inſcribi iuſſit, ſibíque afferri ſacrum cereum: quem ſtatim ſpiritus ſceleratus extinxit. Eo tamen rurſum accenſo, his verbis proſecutus eſt idem ipſe exorciſta: Quando hoc tuum nomen eſt, ô ſceleratiſſime Dæmon, nulla iam mora interiecta comburetur: cuius incendium Dei gloriæ illuſtrãdæ ſubſeruiet, & tibi certiſſimum erit teſtimonium æternæ tuæ miſeriæ & damnationis. Ad eam vocem magno hiatu eſt vociferatus, lingua ſemper ad mentum pendula. Qua lingua velut ad mentum adhærente, nec introrſum reducta, ſpiritus ille furibundus non eſt præ-

Beelzebul cereum extinxit.

Nomen Beelzebul exuſtum.

peditus, quo minus hæc ita planè cum vlulatu ingenti ſonaret: Viſne tu vrere Beelzebul principem Dæmoniorum? Deinde in ipſum eundē exorciſtam, qui ferè chartulam exuſſerat, ſic eſt locutus: Te à me edoctum velim, ô Exorciſta. Neque enim chartulam expiaſti. Ille ad tam arrogans fraudulentúmque eius dictum Nolo, inquit, quicquam abs te diſcere, qui præſtātiores & meliores te magiſtros noui. Ad hæc rurſum ridenti, & exclamanti non expiatam eſſe chartulam. Non ignoras, inquit exorciſta, ô ſcelerate, te & nomen tuum deteſtandum & execrandum, nec dignum, cuius nomen expietur, ſed omnibus appetatur atque explodatur exorciſmis. Huc ſcilicet tendebat veterator callidus, vt tandem nomen ſuum expiatum videretur.

CAP. II.

S. Michael aduerſarius Beelzebul.

Atque his ad eum modum actis, Litania recitata eſt, In cuius enunciandis precibus, cùm Sancte Michaël diceretur, Dæmon Beelzebul, quaſi euocato in eum acerrimo pugnatore, linguam illicò cum effreni vlulatu oſtentauit: & vix duci mulier aut contineri poterat à ſeptem vel octo robuſtiſſimis viris. Ad Litaniam abſolutam hymnus ille Spiritus ſancti euocator eſt additus his verbis: *Veni creator Spiritus*. Ad quam inuocationem nouo percitus furore ſpiritus, ore rabioſo & immani, Virtus Dei, Virtus, inquit, Dei. Mihíne hinc exeundum eſt? Abeo, abeo inquam. Quod cùm audiret exorciſta, Edico, inquit,

Hymni, Veni creator, mira vis.

tibi, ne meo iniuſſu abeas. Cuius imperio morem ſe geſturum annuit. Deinde mulier nunc velut exanimata ſpectata eſt, nunc rediuiua, & paulò pòſt, impellente eodem illo verſipelle ſpiritu, in cachinnum ſoluta. Sed & iterum exorciſmis petitus, vt interrogationibus reſponderet, cruciatus intermiſit, & in læuum pedem ſe abdidit. Ita tranquilliore facta animo mulier, exorciſtam rogauit, vt ſe culpas animi confitentem audiret. Verùm id in craſtinum reiecit exorciſta, conceſſo illi, vti exiſtimabat, commodiore ad excutiendum examinandúmque animum tempore. Et eos, qui tum aderant, omnes eſt adhortatus, vt in craſtinum diem, mentes ad Deum comprecandum pararent.

Dæmon in læuo pede.

Margarita vult confiteri.

CAP. 12.

His verò ita gerendis interfuit Ioann. Roſſeus, Prior cœnobij Diui Ioannis Sueſſionenſis, Ioannes Pinſonius Canonicus Sueſſion. Nicolaus Reginaldus Procurator Regius, Guido Peſcheus ciuis Sueſſ. Adrianus de cruce, Nicolaus Bulyus, Adrianus Goſſetus, Ioannes Lupettus, & alij quamplurimi ad ſexies viginti.

Teſtes primi exorciſmi.

Eodem illo die ſub noctem, cùm ad eam in conclaue acceſſiſſet Frater Iouinus Franciſcanus cum quodam ſuo collega, ſubitò correpta illo ſolito furore, O belli, inquit, Apoſtoli: & paulo pòſt, orationibus aliquot ab eodem Franciſcano dictis, tanquam mortua concidit. Aderat tum Adrianus de cruce,

Franciſcanorum præſentia morbum refricat.

cum Ioanne Sercio, aliiſque non paucis. Poſteróque illo die, quem præſtituerat exorciſta ad eluendas apud ſe animi eius culpas, cùm intrò ad eam acceſſiſſet, repentè in inſaniam acta, tranſuerſiſque oculis, in eum inſilire geſtiebat. Sed retardato eius impetu, cùm in brachium eius ille inuolaſſet, ab aliis etiam qui circunſtabant, toto corpore comprehenſa eſt & coërcita. Tanta tamen in ea vis occultè inſurgebat, vt ægrè admodum retineretur. Vnum tanto furori remedium fuit, aqua luſtralis: cuius aſperſione mitigata & ſedata, concidit immobilis. Ac non ita multo interiecto tempore, recepto animo, confeſſa eſt culpas tranquillè admodum, cæteris interea orationi intentis.

Aqua luſtralis mitigat morbũ.

Margarita confitetur ſacerdoti.

SECVNDVS EXORCISMVS.

CAP. 13.

VENIAMVS nunc ad ſecundum exorciſmum, quem Reuer. Præſul Nonis Maij menſis decreuit, certiſſima fretus ſpe & fiducia, pugnam hanc in tam nefarium & impurum principem Beelzebul, eiúſque conſceleratos ſocios, fœlici ſucceſſu tandẽ terminandã. Etenim magnam vim fore in continuis precibus, cùm ſuis, tum aliorum quoq; permultorũ: & primas robuſtiſſimáſque

in eo conflictu habiturum partes verũ Chriſti corpus in altari à ſacerdote conſecratum, cuius aſpectu ſolo cohorreſcat & obmuteſcat Beelzebul, totáque eius cohors, quantacunque ſit, & quantumuis numeroſa. Eius enim iam in non paucis factum eſſe periculum, & Dæmones omnes ea eſſe perſpicacia, vt ſacratam hoſtiam à prophana diſcernant, ac diſtinguant: tantíque ſacratam faciant, vt quamuis hoſtili in Deũ affectu ſint, tamen ſe imbelles & ignauos fateantur, cùm ſibi occurrit ſacroſancta Euchariſtia. Hæc ſcilicet Præſul noſter cogitauit, & perpendit accuratiùs. Dolebat tamen ſibi non ſuppetere tantas corporis, quantas animi vires. Sed non defuturum ſe aſſerebat, cùm præſentia in conſerendis manibus, tum conſilio in conſtituendis ſuoque ordine collocandis rebus. Itaque eundem Blendecium exorciſtam ad eam concertationem inſtituit, & ſacrificum iubet eſſe Pinſonium, eo Nonarum die, qui dictus eſt.

Euchariſtia potentiſſima.

Præſul præſentia & conſilio rem promouet.

CAP. 14.

Quo die ad aram Diuæ Barbaræ, in auguſtiſſima æde ſacra fuit ſacrum factum, & eodem introducta miſſella mulier, haud ſecus quàm antea diſcruciata, vlulans ſæpiùs, linguamque proiectam ore excutiens, & vix vlla vi coërcenda: aſpectu etiam tam horrida, vt plærique domum mœſti & animis deiecti redierint, ſeque lecto aliquot dies ceu morbo languentes continuerint. Ipſa tamen his miſeris modis affecta, cùm lingua eius luſtrali aqua conſperge-

Margarita inter ſacrum diſcruciata.

Agnus Dei ad os admotus. retur, aut Agnus Dei, qui ab eius collo pendebat, ad os admoueretur, repentè conquieſcebat, & lingua intrò reducebatur, quæ & ore occluſo immota erat, ceu leui quodam ſomno interueniente. Cæca tamen, ſurda, & muta iacebat, ſenſuque deſtituta.

Cap. 15.

Peracto ſacro, Blendecius ad exorciſmum ſe comparans, omnes ad comprecandum eſt adhortatus. *Hymnus Veni creator efficax.* Itaque in genua procũbentes, hymnum illum Spiritus ſancti euocatorem concinunt, cùm interim mulier diſtorquetur, & ſuo more exhorreſcit, terroremque omnium affert oculis. Inchoato exorciſmo, nominéque interrogato Latinè, mox facie horrida, & lingua exerta cum tremulo capite, ſe Beelzebul dici reſpondit. Rogatus etiam Latinè, an ſolus corpus inuaſiſſet, & qui ſocij eſſent, credita eſt vox inſonuiſſe auditoribus, tres eſſe. Itaque ſacramento adacti, Latinè quoque propoſito, vt *Tres dæmones hi, Beelzebul, Legio, & Aſtaroth.* nomina ederentur, Beelzebul, inquit ille, & Legio, & Aſtaroth. Quæ quidem nomina ſecundò rogati, eadem voce clariſſima ſunt nuncupata. Tunc ergò Blendecius ſumpta in manus ſacroſancta hoſtia, & oſtenſa, Beelzebul ita rogat: An non hunc agnoſcis tibi dominũ eſſe, & ſub hac ſpecie, eius corpus & ſangui- *Dæmon agnoſcit ſacramentum altaris.* nem? Agnoſco verò, inquit ille, & fateor. Deinde rogatus, an non is eſſet, qui pro nobis paſſus & mortuus? Ita eſt, inquit. Ergo, ait illi exorciſta, tibi imperat, & dominus eſt. Ille,

Vera,inquit,mihi refers.

Cap. 16.

His dictis, cùm exorciſmus continuaretur, ter ille ſe magnoperè diuexari conqueſtus eſt, ſed vlturum tamen comminabatur. Rogatus porrò quando ex eo corpore emigraret, diem craſtinum dixit, horam octauam ei rei præſtituens, eodémque momento illo ſibi eſſe abeundum confeſſus eſt. Cauſam verò Latinè rogatus, cur inuaſiſſet & torquêret mulierem, nullam tum expreſſit, ſed ſcies, inquit. Et ſecundò idem rogatus, quaſi quidpiam doleret, vel rideret, ſe tamen dicturum eſt effatus. Cumque tandem virtute ac poteſtate ſacramenti corporis Chriſti adigeretur, bis voce clariſſima, & omniũ percepta auribus, reſpondit, Cauſam eſſe Dei gloriam, & hæreſin hugonothorum, qui nolunt credere: idque denuò aſſeuerauit iterum poſcenti. Cœpit ad ea ratiocinari exorciſta, & concludere illum hæreſes docêre, & à fide Catholicæ Eccleſiæ dehortari, magiſtrúmque eſſe improbiſſimum. Quorumcùm nihil negaret, altum quendam riſum emiſit, nec ſimulans neque negans, quamplurimos ſibi hugonothos eſſe diſcipulos. Atque hæc quidem hactenus eſt confeſſus. Nullum tamen ſui diſceſſus ſignum edere voluit. Itaque preces ad Dei clementiam fuſæ: & charta petita, vt eorum nomina inſcripta vrerentur. Verùm nihilo molliores facti, quatere etiã fortiùs mulieris caput ſunt viſi, & nictando

Tempus emigraturi dæmonis.

Vera cauſa occupatæ mulieris à Dæmone.

Dæmon doctor hæreticorum.

illudere. Vbi tamen chartulæ conflagrare cœperunt, clamore ingenti vlulatum quendam referente vſi ſunt, corpus miſeræ mulieris etiã atrociùs affligentes. Et inuecta tum mulier in cereum accenſum cùm reſtinguere vellet, id tamen non valuit. Tandem verò recens iterumque interpellat de ſigno ſui exitus edendo, allegato inuocatóque in eos diuino numine inuictiſſimo, Per læuum ſe exituros brachium reſponderunt, idque ter diſtortum iri. His finitis verbis, mulier ceu mortua relicta eſt, ſenſuque aliquandiu deſtituta: ſed quæ tamen poſtea vires & animum receperit. Is caſus exorciſmum interrupit. Interfuerunt ei rei Ioannes Lupettus: qui omnia, vt gerebantur in omnium oculis, ſcripto mandabat, quæ pòſt tradita ſunt Adriano de cruce Notario Regio, commentario eius inſerenda. Aderat & Pinſonius, & religoſi viri Diui Medardi, Ioannes Iudas Preſbyter & Prior, Alexander ab Aula noua nuncupatus, eius cœnobij, vt vocant, eleemoſynarius. Nicolaus Reginaldus Procurator Regius, Guido Peſcheus, ciuis Sueſſ. & alii nõ pauci, guorum nomina prætereo.

Signũ diſceſſurorum dæmonum.

Teſtes huius exorciſmi.

TERTIVS EXORCISMVS.

CAP. 17.

VT autem preces & exorciſmi nõ intermitterentur, iuſſu Reuerẽdi Præſulis mulier in ædem ſacram deducta eſt, matre comitante ad veſ-

pertinas chori orationes. Quæ vt ingreſſa eſt, huc & illuc circunſpectans, Adrianum de cruce conſpicata, tantum terroris incuſſit, vt in tergum ille præ metu reſilieri, ſeque obiecta columna contexerit. Illa tamen erecta in pedes, & in eum conuerſat, oculiſque in fronte quoquouerſum rotatis, inuadere tentabat. Neque profectò ſedatiore animo fuit intuens in Ioannem Carpentarium, Scribam Electorum huius vrbis, & in Ioannē Lambertum apparitorem vrbanum. Comprehenſa tamē eſt ab eodem Adriano, qui repètè in medium eius corpus irruit, cùm & Lambertus in brachiū quoque dextrum ſimul irrueret, quanquam non ſine incredibili pauore, magnoque ſtrepitu ac tumultu. Ad quem ſtrepitum Blendecius, qui nobiſcum in choro veſperis dicendis interérat, feſtinato itinere eſt egreſſus, ſtatimque vt conſpectus eſt à muliere: O tu, inquit illa, & etiamnum hîc ades? Itaque proiectis pedibus in eum agitabatur, donec ab eodem luſtrali aqua aſperſa, repentè ceu mortua in terram prolapſa eſt, nullo tum prodente ſe cruciatu. Sed ad mentem reuerſa, in chorum Eccleſiæ deducta eſt, vbi paulopòſt in eundem morbum recidit. Quamobrem Adrianus, qui nouerat ab eius collo pendere Agnum Dei, voluit illi ad os admouêre, ſperans eiuſmodi intemperiem ſe eſſe repreſſurum. Sed cauillator & cynicus planè ſpiritus. Per Deum, inquit, tibi dico, qui tam ſacram habes manū, quàm pedis canini ſacra eſt palma.

Terrifica Energumena.

Aquæ luſtralis diuina vis.

Cap, 18.

Deinde vt nihil omitteretur, quod faceret ad hoc tantum negotium, Reuer. Præſul edixit, vt à veſperis ordine rituque ſueto ſupplicatum procederetur, & mulier omnium ſpectanda oculis, ſupplicationi intereſſet, quæ omnes ad comprecandum aſpectu ſui inuitaret. Proceſſum eſt igitur conſueto & ſolenni ritu: ſed in Eccleſiæ medio pronao, cùm ordine pulchrè diſpoſito cætus progrederetur, mulier, quæ ſuo inceſſu incredibilem teſtabatur elatámque ſuperbiam, calceum pede excuſſit, tantumque in altum egit, quantum lancea porrigi poteſt. Quod cùm eſſet quidam in turba attentiùs contemplatus, dixiſſetque, hic ſanè inceſſus, principis cuiuſdam eſt inceſſus: illa continuò, etiámque inſolentiore vſa inceſſu, id verbum excipiens, Quidni, inquit, ita incedat, qui princeps dæmonum eſt? Atque ad eum quidem modum perſeuerauit tota vrbe, dum ſupplicatum eſt, lingua exerta, ſubtus liuida, dimotíſque in omnes partes oculis, ſed tam horridè, vt qui aſpectarent, aliorſum vultum auertere cogerentur: tantáque vi illa agebatur, vt vix à ſeptem vel octo validiſſimis coërceri poſſet. Quæ cùm in ipſo inchoato itinere repentè velut mortua concidiſſet, & iam non deduci, ſed trahi videretur, qui deducebant, comprehenſam totam eleuarunt. Quamobrem ineptire & iocari cœpit inſolens ſuperbuſque ſpiritus. Demiſſa eſt ergo iterum in pedes mulier, admonente exorciſta, non

Supplicatio publica.

Inſolens Dæmonis dictum.

decêre adeò ſubſeruire Dæmoni Beelzebul. Deinde reliquum itineris ipſa pedibus confecit. Sed cùm ad Diuæ Mariæ Virginis cœnobium virginum tranſeundum fuit, aut ad auguſtiſſimam ſacram hanc vrbis ædem, non tranſiit niſi coacta. Conſputabat etiam, quanquam ſputo vix ſuccurrente, in librum exorciſmorum, quem Adrianus de cruce geſtabat, exorciſtæ videlicet tradendum, vbi commodum videretur.

Loca ſacra metuit Dæmon.

Cap. 19.

Regreſſo cœtu à ſupplicando, ipſa templi chorum ſubiens, ad Pontificiam deducta eſt cathedram, in qua nimirùm liberior eſſet, & minus turbæ acceſſu premeretur. Eam continebant Guido Peſcheus, Geruaſius Faber, Robertus Hallegrinus, & cõplures alij. Accedens ad eam exorciſta, præcipere imperaréque cœpit dæmonibus, quorum impulſu illa exorſa eſt vlulatum, linguam proijciens, oculóſque ſurſum ac deorſum intorquens. Quæ pariter quoque ad crucem Chriſti veram ſibi appoſitã vociferari cœpit, & immane quiddã ferinũq; vlulare. Atque ad exorciſtam, qui his verbis eos appellabat, Præcipio vobis ô Beelzebul, Legio & Aſtaroth, & Dei nomine impero, vt ex hoc corpore exeatis, ſic reſpondit: Falleris, ô exorciſta, duo enim hîc tantum ſumus, Coacti igitur ſacramento prodere, quis eorum abeſſet, Aſtaroth abeſſe dixit vnus: qui quidem metu perculſus aufugerit, in pelagus ſe

Locus exorciſmi.

Exorciſta imperat.

Aſtaroth fugit metuens exorciſmos.

abditurus. Neque aliud de illo tum prodidit. Interpellati deinde qua hora, & quo ſigno dato emigrarent, Diem craſtinum & horã octauam antemeridianam ille deſignauit: ac porrò reſpondit, ſinum in læua futurum, ſimul cum brachio ter diſtorquenda. Iuſſi verò ad inferos emigrare, ſine cuiuſquam iniuria, An ad inferos, inquit, relegas, quò nondum acceſſimus? Et quid mirum tibi eſt, ſi torquemus à Deo conditos? An ignoras qui ſimus? Téne fallit impios nos & ſceleratos eſſe? Ad tam inuerecundum & execrandum reſponſum, exorciſta id poſſe à Deo imperari dixit, ac ita periculum fieri de piis hominibus. Id verò non negauit ille, ſed planè diuinum numen eſſe potentiſſimum confeſſus eſt. Et hæc quidem eſt, ô Lector, Dæmonis reſponſio facta in eo negotio. His non contentus exorciſta, ſacramento recèns addito, & inuocato Dei nomine, inquirere etiam cœpit, vbi Bonnorius, Lanneſſonus, & Seruus ſeruorum eſſent, dæmones iam exacti, vt antè docuimus, exorciſmos agente in eos Reuerendo hoc Præſule Sueſſionenſi. Eos in mari eſſe reſpondit, quorum quidem duo vires omnes intenderent ad demergendum quoddam nauigium, & quibus ipſe facilè imperaret, quippè ſubditis & ſibi morem geſturis. Poſtremò iureiurando adactus, vt magiſtrum ſuum palàm ederet, magiſtrum ſuum Luciferum dixit.

Hora emigrandi. Et ſignum.

Dæmon ſe impium fatetur.

Lucifer magiſter Beelzebul.

CAP. 20.

Adiuratus præterea, vt ad inferos emigraret, non auſurum ſe reſpondit, ni Margaritæ Obryæ

ſimul

ſimul deferret animam. Sibi verò Deum vehementer obeſſe, cum rufa illa Maria, eiuſmodi blaſphemo epitheto Diuam Virginem Mariam intelligens. Quo prouocatus impudenti dicto exorciſta, manum in mulieris malam incuſſit, eam vt impiam & maledicentiſſimam caſtigans. Nunc tamen modeſtior ille factus, nunc immodeſtior, & multò loquacior, De Beluacenſi Præſule multa repetebat, cùm à nullo interrogaretur: cui Præſuli ſe verba dediſſe iactabat. Sibi quoque certum locum & receptum ab eo conceſſum, in pede Margaritæ. Ad ea tam licenter effuſa, exorciſta mendacij illum arguebat, & falſa omnia dicebat, quæ de Beluacenſi Præſule loqueretur. Quæ quidem omnia etiamſi vera eſſent, eum tamen Præſulem à Deo ita inſtitutum, vt ipſe morem ei gerere debeat. Sed neque iam ſe fidem habêre his quæ à Dæmone dicerentur. Ita cùm pergeret ille garrulus in ſuis commentis & calumniis, iuſſus eſt deinceps aliorum famæ & nomini parcere. Et rogatus de hugonotis quos docuiſſet, an in ſacramentum altaris crederent, Riſu quæſtionem excepit, & non credere planè reſpondit: Sacrificos verò hoſtiæ altaris, ab eiſdem appellari farinæ vaſtatores & corruptores. At hugonothos ſuos eſſe, ſuoſque eſſe ac dici Apoſtolos & diſcipulos. Haudquaquam tamen diſſimulabat, ſibi in eos nullam eſſe poteſtatem niſi permiſſu diuino: & Deum reuera fatebatur tantum eſſe dominum ac magiſtrum, vt

Blaſphemum epitheton in Virg. Mariam.

Dæmonis calumniæ coercentur.

Hugonothi non credunt.

ei quiduis imperanti mos gerendus ſit. Se tamen principem eſſe, & tribus imperantem legionibus, quarum legionum ſingulas decem millium dæmonum eſſe referebat. Id dictum non probauit exorciſta, mendacemque eum dictitauit, quòd legio non decem milliũ, ſed ſex tantùm & ſexcentorum ac ſexaginta ſex ſcriberetur, cùm à multis, tum ab ipſo quoque Diuo Hieronimo. Itaque ille, quem nihil omninò puduit, mentiri ſuum eſſe dixit: & ſi quid veri dicat, ſe id aliundè mutuari. Sibi autem vnum eſſe magiſtrum Luciferum, poſt quem ſecundas ipſe teneat: & primo eſſe ex ordine.

Dei potentia.

Legionis numerus.

Dæmon mendax.

Beelzebul ex primo ordine.

CAP. 21.

Hanc autem excuſabat mulierem, in quam nunc inuaſiſſet, quod non eius cauſa id factum ſit, vel quod tantum pœnarum commeruerit: ſed propoſitum eſſe nunc præſens Hugonothis hoc exemplum, & inſigne adeò ſpectaculum, vt mores vitámque aliquando emendent. Atque in huiuſmodi quidem narratione, Miniſtro Montaterrenſi non parcebat, incredulum eum dictitans, neque ſibi vlla in re metuendum: & iam ante annos quindecim ſuum illum eſſe, ſuæque ditionis. Cuius ſcilicet opera plus mille haberet corruptiſſimos: ſibíque vtilem illum eſſe aliis corrumpendis & conciliandis. Quamobrem nihil iam à ſe illum interturbari, ſed permitti vt diutiùs vita incolumi fruatur. Vbi verò tandem apud inferos fuerit, egregiè ſe tunc eum maceraturum & tractaturũ.

Cauſa occupatæ à Dæmone Margaritæ.

Cur Dæmon parcat ſcelerato.

Id dictum refellente exorciſta, qui diceret non id eſſe penes ipſum, ſed penes vnum Deum, qui peccantis mortem non deſideret, nec quicquam eſſe virium dæmonibus, niſi ſolùm diuino conceſſu, non habuit quod veritati repugnaret, ſed vera illa omnia eſſe annuit.

CAP. 22.

Sic nimirùm ſolebat verſutus & improbus cauillator, qui ſibi plærumque ſermonem interrumpens, temerè aliud ex alio inchoabat. Nam de ſuo diſceſſu prænuncians, ſe Hugonothos appellaturum dicebat, & tres nominatim deſignaturum: eſſeque aliquot in hac vrbe. Se quoque id promiſſum abſoluturum, quòd à Deo imperatum ſit, cui parēte ipſe omninò debeat. Autore quoque ſe mulierem hanc de herili cæde antè dicebat cogitaſſe, & de puerulo in puteum deiiciendo. Aliud etiam in os ita tū incidit: Cras, inquit, hilariter cantu vobis indulgebitis: & veſtrum iſtud, Te Deum, vobis in meo egreſſu iucundiſſimum erit. Quæ tamen cantio mihi, vt hoc verum loquor, permoleſta futura eſt. Exorciſta his auditis, præter ſpem hoc illi addidit, de Diuo Michaele fortiſſimo eius & acerrimo antagoniſta; Ecquidnam tibi nocumento eſt ſanctus ille, quem noſti, Michaël, Dei Angelus? Hic vnus eſt, inquit, hoſtis mihi maximus & vehementiſſimus. Cuius quidem nomini cùm dies craſtinus ſit ſacer, feram vtcumque me ex hoc expelli domicilio. Velim tamen meo diſceſſui meā adeſſe cochleam: atque ita quidem neceſſe omninò eſt. Eam

Promittit emigrare Dæmon.

S. Michael.

Dies eius diſceſſus.

Cochlea Præſul appellatus. cochleam rogatus, vt interpretaretur, mitra redimitum Præſulem eſſe dixit. Pòſt, velut furore lymphatico actus, gaudióque ſimul geſtiens, Margaritæ malum lætis ac feſtiuis verbis proſequebatur. Verùm exorciſta nihil iſta omnia nocêre mulieri contrà aſſerebat, quòd eiuſmodi afflictata illa incommodis, demiſſior coram Deo fieret, & tota mente purior ac melior. *Emendatio ex triſtitia.* Etenim accuratiùs daturam eſſe operam, ne quid impingat in poſterum, & tantò ſe magis obſtrictam Deo profeſſuram, immortaléſque perpetuò illi acturam gratias. Hæc nimirùm exorciſta: quem attentiùs ille, mulieris ore loquens, intuitus, addebat & hoc arrogantiſſimè: Neminem vnquam tam eximium quàm ſe illum habuiſſe ſodalem. Sed illius & ſodalitatem & conſortium ſceleratiſſimum prorſus eſt exorciſta execratus. Ita his finem aliquando faciens, loquax alioqui & garrulus dæmon, Satis, inquit, iam verborum eſt: & mox ſe in læuam tibiam, vt ſolebat, recepit. Quamobrem & in craſtinum prorogatus eſt exorciſmus. Deinde ad populũ conuerſus exorciſta, & de hoc negotio dicere auſpicatus, omnes docuit, quantum iam profectum eſſet diuino auxilio contra Beelzebul, eiuſque ſocios. *Concio ad populum.* Reſtare nunc certam de tanto hoſte victoriam, haud dubiè obtinendam in diem craſtinum cœleſti fauore, ſi ſe totos ad pietatem ſynceritatémque animorum componerent. Itaque in eum diem intra ſeptimam & octauam horam conuenirent, ſpectaturi &

ibidem cognituri, quanta ſit virtus & poteſtas ſacramenti altaris, per quam inſignis & omnium ore decantanda ſperatur victoria. Interfuerunt huic gerendæ rei ferè omnes Canonici, & innumera populi multitudo: Idem, vt antea Notarius, & Lupettus Scriba, qui fide inuiolata, quæ hîc recenſemus, conſcripſerunt. *Teſtes huius exorciſmi.*

QVARTVS ET VLTIMVS *Exorciſmus.*

CAP. 25.

AD hanc autem dimicationem, in quã maximè periclitabatur Beelzebul, quarta & vehementiſſima eſt apparata exorciſmi machina. Atque vt luculentior & illuſtrior, autore Deo, victoria eſſet, Reuer. Præſul noſter Sueſſionenſis theatrum in auguſtiſſima æde iuſſit conſtrui, vbi & Beelzebul & Legio ſuas partes, ſuumque caſtrum tueri ab omnibus viderentur. Id theatrum ligneum fuit, octo pedes altum, & longum viginti quatuor, ante chori oſtium, pulpito adhæreſcens, immiſſis trabibus & lignis, quæ binis vtrinque fibulis diſtinerentur, ſublicis etiam obliquis ad inferiorem partem adactis, quæ cum omni opere coniungerentur. Suprà autem contabulatio erat, in qua Reuerendus Præſul cum ſuis adminiſtris ſtabat, muliere quoque ibidem miſerando ſpectaculo expoſita infinitæ *Theatrum conſtructũ in æde auguſtiſsima.*

multitudini, non ciuium modò huius vrbis, ſed & aduenarum vndecunque commeantium. Itaque octauo Idus Maias, qui dies Diui Michaëlis iuxta Romanum vſum ſacer erat, hora quinta matutina, iuſſit Reuerendus Præſul mulierem acceſi, & in ædem ſacram adduci. Ad quam accerſendam profectus eſt Adrianus Notarius, harum rerum primarius & publicus ſcriptor. Erat tum mulier in Xenodochij conclaui quodam ſimul cum matre, perpetua eius comite. Aderat ibidem & Fra. Iouinus Franciſcanus, & Nicolaus Millius Chirurgus. Vt ergo ad eos ingreſſus eſt Adrianus, mox cœpit Franciſcanus rem quæ illa nocte acciderat, enarrare. Hac proxima, inquit, nocte cùm adeſſem, Margarita ſuo furore correpta, hanc ceu fabulam luſit, his me affata verbis, Dæmone ſuggerente. Monache cordiger, da mihi, ait, veſtem tuam. Tum tu dæmon fueris, & ego Cordiger fuero. Téque per deum viuum adiurabo. Hæc Margarita. Ad quæ tam inepta & ridicula Dæmonis proculdubiò verba, Franciſcanus non aliud reſpondit, quàm vt linguam compeſceret, & ab his ſibi temperaret. Ac dum hæc refert, mulier ſubagitante dæmone priſtino furore corripitur: & in clamorem concitata, ter ſuam Cochleam ingenti vociferatione inclamauit. Et tu te, ait, paras, ô mea Coclea. Dúmque ſic elatè occlamaret, ecce inopinato ingreditur Criſpinianus Morellus, nuncians Reu. Præſulem in ædem veniſſe, ſeque ad ſacrum illicô fa-

Feſtiua cōmemoratio.

Mulier cochleam ſuā inclamat.

ciendum adornare. Itaque eò repentè deducta eſt mulier. Cui deducendæ præſtabant operam Guido Peſcheus, & Geruaſius faber, aliique nonnulli, tametſi ægrè admodum in tanto eius cruciatu & motu corporis. Incedebat ea ſingulari quodam & magnifico inceſſu, ceu tyrannicum quidpiam regiumque in ſe notans. Quocirca ſpectato eiuſmodi ſatrapico inceſſu, Adrianus Notarius Hallegrinum Latrunculatoris ſatellitem commonens tanti faſtus & ſuperbiæ, atque vt Principem incedere dicens, Mulier ad hæc pernimiùm aurita, & Dæmon in ea vigilantiſſimus, hac voce exclamauit, An non ego etiam Princeps ſum? Idem quoque iam dixerat inter initam pridianam ſupplicationem. Et ingreſſurus eo geſtu in templum, Inſtat mihi, inquit, vrgétque me meus diſceſſus.

Inceſſus mulieris faſtuoſus.

CAP. 24.

Deinde perſtrepens voce immani, & exerta lingua, ter ingeminare cœpit ſuam Cochleam, ſeſe diuexans & diſtorquens. Et ſpectato theatro, cui appropinquabat, cum riſu inclamans, Mox, ait, illic conſiſtam. Paulò ſupra id theatrum, ad eius oram ſummam aſtabant atque incumbebant permulti, & maximè quidem Eccleſiaſtici viri: ad quos illa mulier exclamauit, Præclaros ibi aſtare eximióſque Apoſtolos. Sed antequàm ſacrum fieret, Reuer. Præſul voluit ſuppli-

Cochlea ter ingeminata.

cationem circa templi ambitum celebrari, ad quam & deducta eſt ipſa mulier. Quæ animaduerſo Præſule ſtatim diſtorſit oculos, linguam proiecit, & incandeſcens pedes in terram illiſit, ſeſe retrorſum & præpoſterè inuertens, & voce propè beluina Cocleam ſuam altè inclamans. Ac templum ſimul cum cœtu egrediens, Nunc verò, inquit inſolentiſſimus videlicet Dæmon, regio & principali more hîc incedendum eſt. Ita magnis ampliſque ingrediens paſſibus, & à terra ſublatis pedibus, ac toroſis & ſuperbis feminibus oſtentatis ſeſe efferebat, palàm deridens, ac rogans, Quid? an non bellus & ſpectandus ſum Princeps? Sed hæc omittamus, vt Chriſtianis moribus indigniſſima, & à Chriſti doctrina abhorrentia.

Dæmonis ſuperbia.

Cap. 25.

Poſthæc Reuerend. Præſul cultu ornatus Pontificio ſacrum fecit, ad Diuæ Virginis Mariæ aram extra chorum, ſub theatro poſitam. Margarita autem ſurſum in theatrum ſublata eſt, non ſine multa in eam rem adhibita opera, nec à paucis hominibus, in quos illa vi dæmonum inuolans, iniectis vnguibus, quacunque poterat, ſuggillabat. Deturbabat qui ſe impellerent ad ſcandendum in theatrum, & niſi magna impellente multitudine, vix aſcenſura videbatur. Tandem tamen in tabulatum perpulſa eſt: vbi medio corpore comprehenſam Guido Peſcheus vir robuſtus, ſedens in cathedra continuit, alterum eius brachium Ger-

Margarita in theatrum attollitur.

uaſio fabro coërcente, & alterum Iouino Franciſcano: aliis quoque crura eius & femora, velut iniectis vinculis, arctè admodum retinentibus, cùm tamen ipſa linguam ex ore proiiceret in mentum, oculóſque verſaret, & ſe retrorſum tanta vi membrorum omnium reiiceret & euerteret, vt propemodum tot hominum vires & tanta robora peruinceret. Iouinus autē cùm luſtralem ei aquam aſperſiſſet, ſubitò vociferatus eſt Dæmon immani fremitu, ſe trucidari conquerens. Et ad linguam exertam cum idem ille paruulam crucem auream appoſuiſſet, in qua veræ crucis Chriſti quidpiam inerat, linguam retrahebat mulier, & iacebat proſtrata & exanimata. Inter ſacrum ipſum, oſtentato Chriſti venerando corpore, tanto ſtrepitu & motu efferebatur, vt theatrum videretur planè ſoluendum & ruiturum. *Veræ crucis Chriſti vis.*

CAP. 26.

Peracto tandem ſacro Reuer. Præſul, ornatu Pontificio indutus, theatrū conſcendit cum Diacono & hypodiacono. Ibidem erat Blendecius, Ioan. Pinſonius, Ioan. Iudas cœnobita Prior Diui Medardi & Eleemoſynarius, cum aliis pleriſque eiuſdem cœnobij religioſis viris, quorum ſtudio & diligentia venerandæ Diui Sebaſtiani reliquiæ eodem allatæ erant. Conſcendentem verò in theatrum Præſulem conſpicatus Dæmon, ſe maximo correptum metu voce altiſſima eſt profeſſus: & ad eum verſus, Tu verò hîc etiam es mea Cochlea? Verùm ſtatim ſigno crucis in eum delineato ab eodē Prę- *Quinam in theatro erant.*

Qui in pulpito. ſule, obmutuit. In pulpito, quod theatro imminebat, erãt Canonici maximo numero, aliique multi, vt togati, Reip. Magiſtratus, apparitores, ac miniſtri. Totum etiam quantum quãtum eſt, eius ampliſſimæ & auguſtiſſimæ ædis pronaum, hominum multitudine ferè opplebatur, qua nimirùm parte maximum eſt in eum aditum atrium. Auſpicium verò fuit hymnus ille celeberrimus, diuini Spiritus euocator, à Reuerendo Præſule inchoatus. Poſt quem abſolutum, Blendecius librum exorciſmorum eidem Reu. Præſuli obtulit. Sed vt antè valetudinem & ætatem expoſuerat, ita hîc rurſum fecit: adfuturum ſe tamen dixit, & omnia, quoad poſſet, promoturum. Ageret igitur data autoritate in conſpectu & ſuo & omnium qui adeſ- *Blendecius exorciſta.* ſent. His dictis aſſedit medius inter exorciſtã, & mulierem Dæmoniis oppreſſam. Hora erat ſeptima cùm auſpicatus eſt exorciſta: qui vbi ad eum peruenit locum, quo ſic Dæmonibus imperatur, Præcipio vobis Dæmones, vlulare & dolorem ſuum teſtari cœpit Dæmon, cùm nihil tamẽ planè eloqueretur. Peractóque eiuſmodi exorciſmo, & Diuus Michaël, qui eo die celebrabatur, ei vt aduerſarius potentiſſimus eſt obiectus. Cui ille velut impar tantæ colluctationi faciendæ & ſuſtinendæ, nec repugnãs, *Coactus Dæmon emigrare.* ſibi non diſſimulauit eo die diſcedendum, cùm tam vrgenti opprimeretur neceſſitate. Idque hora octaua ſe facturum profeſſus eſt, & id dato ſigno in læuo brachio, ter ita diſtorquendo, vt nihil opis ab eo ſperari vnquã poſſet. Iuſſus

tamen eſt ille eidem brachio valetudinem totã inſtaurare. Quod ſe factum obſtinatè pernegauit: neque tum ceſſit diuino allegato nomini, ſacroſanctíque corporis & ſanguinis Chriſti allegatæ virtuti. Quamobrem iuſſus eſt eo in corpore cõtineri, nec antè excedere, quàm imperio paruiſſet. Atque hîc quidem obticuit. *Peruicacia Dæmonis.*

Cap. 27.

Rogatus deinde rurſum, vt quot eſſent ederet, duos modò eſſe reſpondit. Nam Aſtaroth diſceſſiſſe præ metu, & nunc latêre ſub ponte. Cui cùm mox imperaretur vt remearet, compareretque in hoc ſummo iudicio, reſpondit eius nomine, nunquam compariturum illum, quòd nimia formidine teneretur. Adacti autem & ipſi iam non diſſimulanter fateri, cur non perinde vt ille metuiſſent: Id non mirandũ reſpondit: Primùm, quod ipſe princeps eſſet Dæmonum: Deinde, quòd Legio ſibi obediret. De aliis verò Dæmonibus iam exactis denuò quoque interrogatus, & Bonnorium & Lanneſſonum ac Seruum ſeruorum in mare diſceſſiſſe reſpondit, vbi vires periclitarentur ad demergendum quoddam nauigium. Atque hæc quidem ceu poſtrema quædam fuerunt colloquia. Eſt enim octaua hora interim audita, ad quam diſceſſum ſuum Beelzebul præſtituerat. Itaque accedens ad eos exorciſta, præſentiámque ſacroſancti ſacramẽti in altari cõmemorans, hoc poſtremo vſus eſt exorciſmo in hæc verba. Tu Beelzebul, tuq; Legio & Aſtaroth, quocunque nũc loco lateas, & ſiquis aliꝰ vobiſcũ eſt Dæmõ,

Aſtaroth pauidus aufugit.

Hora octaua, emigrãdi hora.

adiuro ego vos per Dei viuentis nomen, perque merita paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Ieſu Chriſti, & per virtutẽ poteſtatẽmque ſacroſanctæ hoſtiæ, vt nunc nulla interiecta mora ex hoc diſcedatis corpore, nunquam in ipſum aut aliud quodpiam redituri: & mulierem hanc perinde membris omnibus incolumem relinquatis, atque tum fuit, cum primũ paruula admodùm baptiſmo eſt lota. Ad hunc exorciſmum, eodem illo momento, horrificũ edidit clamorem, & plãgorem tertiò iteratum, brachio læuo mulieri tertiò etiam diſtorto & inuerſo: quod aliquandiu intortum & rigidum manſit, manu quoque præcluſa manente. Atque is quidem fuit eorum tam ſceleratorũ ſpirituum exitus & diſceſſus, quorũ abitu miſella mulier, vt mortua, humi concidit. Verùm vt ad ſe reuerſa eſt, & aperiri ſenſim eius cœperunt oculi, rogata ab exorciſta, vt valêret, ſe ſanam & valentem diuino beneficio eſſe dixit, nihílque ſibi iam dolêre præter læuum brachium, quod tamen poſtea cœleſti numine & comprecantium exaudiente orationes, priſtinæ valetudini eſt reſtitutum. Itaque ibi Margarita ad pedes Reuerendi Præſulis accidens, immortales egit Deo gratias, ipſiqne adeò Prçſuli, & his qui eius cauſa adlaboraſſent. Deinde gratiis actis, ſacroſanctum altaris ſacramentum cum ſumma animi pietate ac demiſſione ſuſcepit.

Clamor Dæmonis horrificus in diſceſſu.

Liberata Margarita.

Læuũ brachium valetudini reſtitutum.

CAP. 28.

Et hic quidem tam fauſtus & lætus huius negotij exitus fuit. Cuius gratia tum ad popu-

lum hanc breuem orationem habuit exorciſta. Vobis iam conſpicua eſt immortalis & omniũ gentiũ linguis prędicanda hæc victoria, ô Chriſtiani, parta de inſolentiſſimo & ferociſſimo Dæmone Beelzebul, eiúſque ſociis & commilitonibus. Quæ ſanè victoria virtuti & poteſtati ſacroſanctæ Euchariſtiæ accepta imprimis referri debet. Quamobrem vos omnes hîc nũc adhortor, vt altaris venerandum ſacramẽtum, ſi antea ex animo coluiſtis, & ea qua debetis religione reueriti eſtis, nunc etiam multò ſtudioſiùs id colatis & reuereamini, tam claro & inſigni in omnium veſtrum oculis edito, eius virtute, miraculo: quod profectò miraculum nũc molles ac labaſcentes animos confirmabit ac ſuſtentabit, fortéſque ac firmos in ſuo robore continebit. Etenim eximium ſingularéque hoc beneficium eſt, quòd diuinæ maieſtati viſum ſit hanc præter cæteras vrbem tanta in re eligere, illuſtrando ſuo nomini. Quare vobis videndũ etiam atque etiam eſt, ne tantæ beneficẽtiæ immemores, ingratos vos nouerit beneficentiſſ. Deus, ſed accenſos potius ac ſtimulatos ad maiorem pietatem, ardorémque animorum, & ad amplectendam conſeruandámque patrum religionem, nouis affectam & decoratam miraculis, & nunc redintegratam & renouatã. Denique & Clero hymnos ſuos ad Dei gloriam celebranti: Date & vos operam, vt veſtrę quoque reſpondeant preces ad eandem gloriã vberiùs honorandam. Ad quam quidem concionẽ prompti omnes & alacres vna animorum con-

Concio ad populum de hoc miraculo.

Sacramentum altaris venerandũ.

Finis concionis.

ſenſione orationi vacauerunt. Mulier autem tam diuino affecta beneficio, deflexa in genuá, dum hæc dicerentur, medio in theatro ſpectabatur ardentem geſtans cereum. Eáque peracta concione, Reuerendi Præſulis autoritate & conſilio, ſupplicatio per vrbem cœtu frequentiſſimo inita eſt: in qua & ipſa mulier recens valetudini & incolumitati diuinitùs reſtituta, poſt Præſulem ſequebatur, cereum illum ardētem manu geſtans, & permodeſto greſſu ambulans, ſummam pietatem, mirúmque diuini cultus affectum toto geſtu teſtificans. Nam ſola gradiebatur vultu alacri, omnéſque in ſui admirationem rapiebat, quod tantulo antè tempore, ceu leo rugiens acta & mota eſſet, aſpectu horrido, & ore terrifico, quæ nunc tanquam mitiſſima ouicula, læta vndique & grata omnibus appareret, permultis lachrymas præ gaudio excutiēs, & ſemel omnes ad maius incendens religionis Catholicæ ſtudium, & ad gratias Deo immortali tantarum rerum autori & perfectori agendas. Ea porrò mulier deinde metuens, ne quid tantæ gratiæ deperiret, & vt munitior & confirmatior eſſet, de ſui exorciſtæ conſilio nouem dies continuos venerandam Euchariſtiam à ſacerdote accepit: neque poſtea feſtum vllum aut Dominicum intermiſit diē, quo non etiam ſuſciperet: & ad decimū ſeptimum Calendas Iulias, eandem in ſe religionem oſtendit, vſque ad eum videlicet diem, quo hinc ad ſuos ſalua & incolumis reducta eſt. Miſſæ quoque huc ſunt literæ, quibus

Solēnis ſupplicatio.

Admirāda mutatio in muliere.

Euchariſtiæ frequentiſſima ſūptio.

ea narratur eandem in vico ſuo natalitio religionem ad ſuſcipiendam Euchariſtiam ſeruare, neque ab eo ſibi hîc dato conſilio vel latum vnguem deficere. Et hæc ſcilicet eſt diuina clementia & bonitas, ô Antiſtes opt. quæ hiſce noſtris temporibus magnum aliquid velle moliri videtur, quod mortalium ingeniis perſpectum non ſit. Neque enim deſunt concionatores, qui paſſim diuinam exponant voluntatem: neque ſcriptores, qui patrum mores & fidem aperiant, vt nemini reliquum iam quicquam ſit ad prætexendam ignorantiam, maiorúmque doctrinam & pietatem diſſimulandam. Nouo autem & nobis incognito genere vti velle videtur Deus, ad nos erudiendos, & ad fidem Catholicam aſtruendam. De qua re hoc loco non agam pluribus, vnum hoc monuiſſe contentus, quanquam me monitore nihil omninò eſt opus in re tam clara, & per ſeipſam nos alloquente. Itaque finem huic quartæ facio hiſtoriæ, tanquam poſtremo actui, in quo ſpectando plus octo millia hominum adfuerunt. Adfuit quicquid eſt hîc Clerici noſtri ordinis, & huius vrbis Magiſtratus, nominatim quidem Petrus Auenellus Præpoſitus, & Nicolaus Reginaldus Procurator Regius, cum Magiſtratuum apparitoribus, & miniſtris quàmplurimis. Sunt etiã ſumma fide collecta omnia ex actis, quę ſuo cõmẽtario eſt cõplexus Adrianus de cruce, publicus & Regius Notarius, &

Margarita vitæ ſanctimoniã continuat.

Teſtes huius poſtremi exorciſmi.

ex Lupetti facto ad eam rem certo libello, quē Reuerendi Præſulis iuſſu conſcribebat ad ſingula, quæ gerebantur, attentiſſimus & inſpector & auditor, Sueſſione, 1582.

Sequitur quinta & vltima hiſtoria de tribus eiectis Dæmonibus, Cramoyſio, Pierotyo & Leuectione, è corpore Nicolai Faquierij, Diœceſis Sueſſionenſis, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, octauo Idus Iunias.

NICOLAVS ENERGVMENVS.

CAP. I.

HANC ſuperioribus addam narrationem, vt quintam hiſtoriam, Antiſtes opt. quam nostri dignam omnium cognitione cenſent, quando & in eodem genere argumenti accidit, eodémque anno, denique & eodem ſummo Pontifice Rom. eodémque in his Galliis Rege, & huic quoque vrbi eodem Præſule Reuerendo Carolo Rucyenſi. Cuius initium fuit in eo huius Diœceſis vico ruſtico, quē vulgus vna ſyllaba Cus dicit, de quo & antea nonnihil attigimus. Quo in vico & erat, & hodie quoque eſt, vir quidam operarius, arte & conditione mechanicus, de quo nunc agitur, annos natus circiter quinquaginta, Nicolaus Faquierius cognométo, cuius vxor, ſi quid huc facit eam nominaſſe, Maria Galleta eſt. Is vir, vti iam in aliis à Dæmonibus

Tempus hiſtoriæ.

Locus.

Nomē Energumeni.

monibus

monibus oppugnatis factum eſſe didicimus, variis primùm ſpectris eſt tentatus, quæ nouis ſubinde formis ei occurrerunt. Quod vt Lector certo claróque ordine teneat, ſic rem totam auſpicamur. Quinto Idus Februarij menſis huius anni 1582. ſpectrum huic viro ad opus faciendum pergenti occurrit huiuſmodi. Mulier erat atro veſtitu amicta, paſſo capillo, & toto corpore incompta. Quæ vt appropinquauit, celeriùs telo velociſſimo tranſiit, nec quorſum abierit, ille ſenſit, quippè quæ ex oculis tota momento euanuerit. Deinde eodem die reuertenti ab opere, aliud ſpectrum & noua ſpecie ſe obtulit: Lupus nimirùm eadem in via: cui accedenti primùm hic vir ceſſit, paulum quiddam de via deflectens, tametſi nihil eius aſpectu terrebatur. Is Lupus eo reſtitante conſiſtebat, & in viam redeuntem reuerſúmque ſequebatur, ita ſeſe oſtentans, donec tandem momento temporis eius aſpectum effugit.

Primum ſpectrum.

Secundum ſpectrum.

CAP. 2.

Alia quoque poſtea ſpecie venit, ater quidam ignotúſque catulus, pridie Idus Februarij, cùm ad ſacram ædem pergeret. Qua in ædè ſacra, prodigioſa hæc ei acciderunt. Primùm vox eius adeò intercluſa fuit, cùm ſacrum inchoaretur, vt prorſus obmutuerit. Deinde tanto fuſtis ictu in latus inflicto ſe percuti ſentit, vt protinus loco exilierit fugam corripiens. Et pòſt, alapam quoque ſibi grauiſſimam ſen-

Tertium ſpectrum.

ſit incuti, quòd tardiùs pro imperio ſibi facto moueretur. Et in eadem ipſa æde, ſpectrum videbat ad anguſtius oſtium ſeſe oſtentans, ſaltitans, & ad ſe euocans porrecto digito, ſignoque dato vt inde prodiret: idque antequàm fuſte & alapa cæderetur, animaduertebat. Conantem verò ſe, & non ſatis accelerantem ita cogebat, quaſi traheretur illigatus funibus. Itaque tum egreſſus, relictis precibus, incredibili curſu ad ſylueſtria contendit. Eum tamen quidam curſu quoque eſt inſecutus, aliique deinceps multi. Et comprehenſus tandem, cùm vt rediret moneretur, perſuaderi non potuit: ac ne à quindecim quidem viris non minimi roboris reduci potuit. Itaque ciſio eſt impoſitus, cóque peruectus, & apud Simonem Galletum Leuirum ſuum depoſitus, vbi non ſine miſerando cruciatu pernoctauit. Qui cruciatus totum ferè triduum illi perſeuerauit. Sed qui eum tum torquebat ſpiritus nefarius, Bonnorium Dæmonem ſe eſſe perſuadere conabatur. Id verò erat tempus, cùm hæc agerentur, quo Eccleſia Catholica ſuo more Septuageſimam concelebrat. Ex quo quidem tempore ad Dominicam Paſſionis tranquillè habuit.

Aliud ſpectrum.

Fugit ad ſylueſtria Faquierius.

Cruciatur grauiſſimè.

Cap. 3.

Nam morbus eo die recruduit, in dies ſingulos ingraueſcens, idque ad ſabbatum vſque, quod Dominicam Palmariam proximè antecedit: quo nimirùm die apud ſacerdotem

culpas animi eluit, ſacroſanctam Euchariſtiam poſtea ſuſcepturus. Non pigebit igitur hoc loco dixiſſe, quod illi inter ſacrum audiendum accidit. Cùm venerandum Chriſti corpus à ſacrifico, vt fit, eleuaretur, vox quædam eum admonuit, vt palàm diceret, quidnam in manu ſacerdotis contemplaretur. Cui cùm reſpondiſſet ſe Domini corpus contemplari, nec quicquam amplius ibi cernere; tunc eodem illo in veſtigio ſibi caput comprehendi ſenſit; velut iniectis in ſe manibus; voce rurſus admonente; vt pone hoſtiam oculos intenderet. Nam quidpiam porrò aliud eſſe ſpectaturum. Itaque voci obediens, & oculos intendens, quatuor vtroque ab latere angelos vidit, quorum in medio puellus aliquis conſiſteret. Peracto deinde ſacro venerandam ſuſcepit Euchariſtiam: neque eo die quicquam menti aduerſarium ſenſit, vſque ad eum diem, quem nos Catholici Iouis, & Abſolutorium diem nominamus. Poſtero autem illo die, qui Veneris ſanctiſſimi diei nomen gerit, rurſum domi ei ſe aliud oſtentauit ſpectrum, humana ſpecie, atrum vndique. A quo tunc, vt opinatur, præpeditus eſt, ne ſequenti die, qui pridie Paſchæ fuit, ſacro audiendo intereſſet. Sed ipſo quoque eodem die ſub noctem, cùm necdum opus intermiſiſſet, tantùm ſibi infligi fuſtis ictum ſenſit, quantum vel ſex robuſtiſſimi viri viciſſim non infligerent, quantumuis magno adnixi conatu. Quo quidem

In ſacrata hoſtia puellus viſus.

Euchariſtiam ſuſcipit Nicolaus.

Aliud ſpectrum.

Ictus fuſtis.

defatigatus deiectúſque ictu prodigioſo, ab opere deſiſtens illicò, domum reductus eſt. Atque ex ea profectò hora, lateris dolore tandiu eſt afflictatus, donec tandem ope diuina liberatus eſt.

CAP. 4.

Eodem tempore cùm propinqui atque amici eum inuiſerent, ſuóque eum nomine ſalutarent, percontantes de valetudine, verbum ab eo reſponſum eſt nullum. Deinde vt loqueretur interpellatus, vocem excepit ſpiritus, qui eo ipſum nomine dici inficiatus eſt. Itaque rogatus quo ſe alio nomine nũcuparet, Cramoyſium nuncupari ſe reſpondit. Et hæc quidem ad hunc modum tunc ſe habuerunt. Tranquillo autem fuit animo ad poſtremum Maij diem. Quo die, recurrente morbo priſtino, plurimùm fuit agitatus. Nam cùm ſe in menſam ſuam primùm inuertiſſet, proſtrauiſſétque, ſe quoque deinde ſub eam ſubiecit ac demiſit: quam capite ſuſtollens, atque in genua incumbens, ſurſum quoad potuit, perpulit. Qua quidẽ re animaduerſa, vxor, quæ lecto ſe ad quietem condiderat, repentè, & quantum potuit, comprehenſum depoſuit in lectum. Quẽ cùm moneret, hortaretúrque vt ſe crucis ſigno cõmuniret, non poſſe id facere palàm reſpondit, quòd nimio ſcilicet iam ſcelerati ſpiritus imperio teneretur.

Dæmonis nomen eum occupantis.

Recrudeſcit corpus.

CAP. 5.

Ac die quoque inſequenti, eodem agitante

ſpiritu, cùm plerique eum inuiſerent, venit etiam qui hymnum Diui Spiritus euocatorem exordiretur, ſperans inde leuamenti aliquid morbo afferri poſſe:ſed id ſpiritum magis exacerbauit:qui tantum homini tunc robur addidit, tantámque rabiem iniecit, vt tres viri vel valentiſſimi ad eũ accedere non auſi ſint. Denique & tertio Nonas Maij pari lymphatico correptus furore, & domo egreſſus, curriculo tam procul ab omniũ ſeceſſit conſpectu, vt in diem poſterum viſus ſit periiſſe funditùs, omnium incolarum iudicio. Quo tamen poſtero die, qui Pentecoſtes dies fuit, ad ſacrum audiendum, ſedato animo, repentè & inopinatò eſt reuerſus: Idque ei perſeuerauit ad veſperam, quo tempore preces veſpertinæ apud ruricolas decantari ſolent. Etenim eodem illo tempore adeò miſerè eſt afflictatus, vt ſumma neceſſitate deductus ſit in Gerardi Sereni leuiri ſui ædes, vbi dum vi morbi maxima agitatur, grauiùs etiam tum habere incipit, cùm ſibi Diui Huberti offertur imago. Nam multo magis ea conſpecta & contacta imagine agitari contigit. Exinde propè octo dies conquieuit, ad eum videlicet diem, qui Trinitatis nomine eſt celeber, quarto Idus eiuſdem Iunij menſis. Eo enim die tum celeberrimo, cùm ad ſacrum audiendum iter faceret, repentè ea mentis inſania correptus aufugit, vt biduum propè ab hominum oculis ignoto loco latuerit: qui ſanus tamen & valens altero tandem die ſolus domum rediit.

Torquetur denuò.

Hymnus, Veni creator.

Fuga Energumeni.

Reditus.

Diui Huberti imagine, qua viſa torquetur grauius.

Fuga alia.

ſtrum ei obiectum. Syluestria, & ab omnium conſpectu remota petierat: vbi & ſpectrum ei apparuit, atro & rubro veſtitu amictum, vti poſtea retulit.

CAP. 6.

Aliud ſpectrum. Aliquanto interiecto tempore, domum cuiuſdam ſibi noti ingreſſus, cùm & adeſſent alij quamplurimi, iterùm ſpectrum vidit, ruſtici hominis habitu, ſtánſque immotũ & mutũ. Quamobrẽ ancipiti verſans animo, quidnam hoc eſſet, & an ſpiritus fortè nefarius eſſet, hæſitãs, Dei gratia fretus, fidenter aggreditur, monétque adiurãdo, vt ſi à Deo immitteretur, ne diſcederet: contrà autem, ſi ſatanicus eſſet, vi diuini numinis adactus, protinus inde ſe ſubduceret. Ad quæ verba primùm nihil reſponſi dedit. Deinde rurſum ac tertiò interpellatus, etiam obmutuit. Itaque ad rogandum eius nomen orationem conuertit, & tum denique *Cramoyſius Dæmon appellatus.* cùm inſtaret ſtudioſiùs, reſpondentem audiit, ſéque Cramoyſium nuncupantem. Quapropter occaſione arrepta, vlteriùs porrexit, & vrgêre ac percontari cœpit, quid cauſæ eſſet cur ſe oppugnaret: An ſuas culpas eſſe in cauſa, an verò parentum, vel fratrum, vel ſororum. Dæmon ad eam interpellationem cauſas eiuſ- *Cauſæ occupati Energumeni.* modi nullas eſſe dixit: ſed tres ei eſſe conſanguineos, qui à Catholica defecerint religione: per eum reducendos ad bonam mentem, & ad Eccleſiam Catholicam, diuino arbitrio ita decernente. Quod reſponſum cùm per-

plexo acciperet animo, multóſque ſibi diceret eſſe conſanguineos, & procul ab eo vico agentes, rogarétque nominatim edi quinam eſſent, quorum cauſa torqueretur, eos ille reſpondit non procul abeſſe, ſed eodem in illo eſſe vico: quos & his deſignauit nominibus: Bricius Gagnonus, Lucianus Liepentus, & Franciſcus Gagnonus. Quorum duo primi re tanta diligentiùs perpenſa, & diuino afflati inſtinctu, ad fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam redierunt, prorſus execrantes impiam neodidaſcalorum, & impoſtorum huius temporis doctrinam. Tertius autem eorum ſemper titubanti ac incerto animo fuit, donec Sueſſionem ad Reuerendum Præſulem adductus eſt Faquierius, qui exorciſmis ibidem & diuina gratia eſt percuratus. Qua in vrbe, & ipſe Franciſcus Gagnonus palàm id temporis eſt profeſſus Catholicum ſe futurum, & quicquid vitij in ſe eſſet, Præſulis iudicio commiſſurum. Hæc tum ille ita profeſſus eſt. Faxit Deus, vt in eo perſeueret. Sed pergamus.

Conſanguinei Energumeni.

Duo eorum redeunt ad fidem Catholicam.

CAP. 7.

Decimo ſeptimo Calend. Iulias Faquierius, & eius propinqui atque amici, comites ei futuri, Sueſſionem petituro, culpas ſuas iuxta Eccleſiæ Catholicæ præſcriptum eluerunt, & venerandam ſuſceperunt Euchariſtiam, certiſſimis videlicet ſe armis inſtruentes,

Cõfeſsio & Euchariſtiæ ſuſceptio arma validiſſima Chriſtiani.

quibus tuti eſſent aduerſus inſidias & technas Dæmonũ: deinde ſe itineri ad hanc vrbem cõ-
Sueßionem iter habet. miſerunt. Non deſiit tamen irrequietus ille ſpiritus ſemper ſui ſimilis eſſe, qui quinquies eo die quaſi redintegrata ſubinde pugna, in eum irruit. Qua etiam inſolentia agitatus in Adrianum Galletum, his verbis ſic eum corripuit:
Album. Niſi tu hodie Album ediſſes, iam te inſigniter multatum darem. Cuius quidem dicti cauſam ſe non proditurum reſpondit, ne Sueſſionenſi Præſuli res tota aliquando ab eis commemoraretur.

SECVNDA PARS *hiſtoriæ.*

CAP. I.

VENERVNT igitur eo die in hanc vrbem Nicolaus Faquierius, & eius comites, vxor, Gerardinus Heroinus ſenir, Antonius Galle-
Comites Energumeni in hanc vrbem Sueſs. tus & Adrianus Galletus, literas à Parocho ad Reuerend. Præſulem afferentes, quibus & morbi genus ille deſcribebat, & ſimul miſericordiam homini inclementiſſime afflicto, opéque & fortunis deſtituto, implorabat. Lectis, eis literis Reuerend. Præſul, acceſito ad ſe Carolo Blendecio, de quo in ſuperiore egimus hiſtoria, negotium hoc dedit ob valetudinem ſuam parùm ſecundam, & primũ monuit, vt faciendis interrogationibus

omnem adhiberet diligentiam,qua planè conſtare poſſet, verane hæc eſſet Dæmonis oppugnatio & occupatio.

CAP. 2.

Sed ante interrogationes ter in eum à Dæmone ſubinde noua aggreſſio facta fuit. Quarum prima diſtorſit miſerum in ſacra æde auguſtiſſima ante aram Diuæ Virginis Mariæ. Secunda verò fuit aggreſſio, cùm productus eſt ad Reuer. Præſúlem, qui annulum ſuum ſacrum illi admouit, ad cuius conſpectũ & contactum ille exhorreſcens, immane quiddam exclamauit. Diuino tamen citato & inuocato nomine, iuſſus eſt à Præſule exurgere. Qui poſteà ſubitò velut excuſſa ægrotatione, in pedes exurrexit: & de valetudine rogatus, benè ſibi eſſe reſpondit, nec iam morbi aut doloris vllius meminiſſe. Tertia facta in eum aggreſſio ab eodem Dæmone tum ei contigit, cùm ad ſecretarij ædes concederet, ibidem quoque examinandus. In qua quidem animi corporiſque miſeranda vexatione, appreſſis dentibus, os ſibi ille occluſerat: ſed quod facillimè tũ apertum eſt, cùm Agnus Dei ſacer à Pinſonio eſt ei applicatus: idque tam placidè, vt nec morſum infligeret, vel læderet, aut quidpiam contereret: ſed ſe dolêre teſtaretur, tandiu plangens & inclamans, donec ex ore eductus Agnus ille eſt. Tum enim denique ad mentem ſedato dolore rediit. Ergo in eo loco eſt rogatus. Cuius reſponſa excipiebat, & ſcripto mandabat Ioannes Lupettus.

Cruciatus diuerſi.

Agnus Dei admotus Energumeno.

Interrogatio facta.

CAP. 3.

Quæ ſanè omnia cùm perlegiſſet attentiſſimè Reuer. Præſul, decreuit in diem craſtinum exorciſmos, Is autē dies fuit Decimus ſextus ante Calendas Iulias. Ad quem & Reuerend. ipſe Præſul, & Blendecius eo in negotio exorciſta, conuenerunt, deſignata ad id peragendum ſacra Diui Ludouici æde. Sed cùm oppreſſus ſuo morbo adduceretur Faquierius, obuios habuit, qui ſe peregrinos dicerent à Diua Virgine Maria, quæ Lætitiæ appellatur. Geſtabant, vt vulgi mos eſt, corollas Dominicæ precationis, quarum vnam huic Faquierio tradiderunt. Verùm vt in manum ille corollam recepit, furore immani eſt actus, & fœda omnia, dictúque indigna cœpit loqui. Nec enim tum aliud quàm pædicones & pæderaſtas eos appellans, diſruptam corollam iactu improbiſſimo à ſe proiecit. Sed tantus furor ſenſim tandem remiſſus eſt: poſteáque in diui Ludouici ædem eſt perductus. Ibi culpas ſuas apud Blendecium ſacerdotem expoſuit, dum venit expectatus Præſul Reuerendus.

Corolla precaria irritatur Energumenus.

Confitetur ſacerdoti faquierius.

CAP. 4.

Quo pòſt ingreſſo in ædem, ſacrum ille exorditur, vbi tranquilla mēte ſpectatus eſt Faquierius. Sed eo perfecto abſolutóque cùm ad eundem venit exorciſta, ſuo functurus munere, & eius collo ſtolam circumpoſuit, ad illigandos Dæmones, ne pro arbitrio liberè inde exirent: tunc grauioribus eſt tormentis exagitatus. Namque perſtrepens ac gemens obſcoena ore impuriſſimo effutiebat, tāta vi omnes à ſe pro-

Stola collo Energumeni circumpoſita.

pellens, vt vix à ſex robuſtiſſimis coërceretur. Primùm igitur Latinè interrogatur, cur in hunc hominem inuaſerit, & tantis eum malis afficiat. Ad eam reſpondens interrogationem Latinè factã, vt is qui planè intelligeret omnes linguas, cauſam dixit eſſe, quanquam idiomate Gallico, vt Hugonothi (ſic enim appellauit) ſacrum Catholicorum audiant, hoc eſt, vt ad Miſſam eant. Cui cùm obiectum eſſet, id penes eum non eſſe, neque id velle ipſum, aut omninò cupere, ſed vnius diuinæ eſſe voluntatis, quicquid hoc eſſet: Imò, verò, inquit, idipſum & penes diabolos eſt, quibus potentiſſimus deus idem imperauit. Deinde Latinè quoque nomen ſuum interrogatus, Cramoyſium ſe nuncupauit: Et ſecum duos eſſe eodem illo in corpore alios dixit, quos Latinè etiam interrogatus his expreſſit nominibus, quæ nos eadem vt ille voce, quantumuis barbara, huc aſcripſimus, *Cramoſy, Pieroty, & Leuecthon*. Neque verò tantùm ex aliis hæc habemus, ſed nos ipſi interfuimus atque audiuimus. Eadem porrò nomina denuò rogatus, pari voce & totidem ſyllabis palàm enunciatis repetiuit.

Latinè facta interrogatio.

Cauſa occupati à Dæmonibus Energumeni.

Nomina Dæmonũ.

Barbara nomina Dæmonũ.

CAP. 5.

Poſtremò de magiſtro qui ſibi imperaret rogatus, & de ordine in quo eſſet, quíſve ei præeſſet ordini, hæc reſpondit. Magiſter eſt Lenexis: ordo, qui primus eſt: cui ordini præeſt Lezabel. Id autem exorciſtæ mendacium eſſe viſum eſt: Nam præeſſe Luciferum. Ad quæ ſanè verba, hæc ille de Lezabel à ſe nominato. Lezabel,

Lenexis Dæmon.

Lezabel, magiſter bonum dæmonum.

inquit, in limbo eſt,vbi & illi, qui mortui nati appellantur. Quo nimirùm in loco nihil neque Lucifer neque Beelzebul imperat. Et ſi bona pace mihi fas eſt hîc commemorare,quæ ille referebat,dicam ô Lector,tametſi fortè ridiculum nonnullis videbitur, eos qui ſub Lezabele eſſent,nobis palàm commemorabat non eſſe eiuſmodi diabolos,quales alii ſint. Nunquam enim ad inferos illos commeare, ſed ter annis ſingulis in paradiſum introire. Ita ſcilicet nugabatur veterator ille verſutiloquus,quò tempus fruſtrà interea conſumeret. Repreſſa eſt igitur tanta garriendi licentia, grauiori inducta oratione, & propoſita Chriſti paſſionis & reſurrectionis virtute,qua tum cœpit exorciſta vrgêre acriùs, vt ex eo corpore emigraret. Atqui ſe non emigraturum inſolenter proteruéque reſpondit, niſi præſente conſanguineo Franciſco Gaguono,qui nihil prorſus haberet religionis, cùm nec ad hugonotorum conciones nec ad Catholicorũ ſacra cõmearet:ſed nec eo etiam præſente exiturum ſe, niſi ſacro pariter Catholicorum intereſſet. Neque verò mirũ id cuiquã videri debere, quando ita ſibi à Deo ſit imperatum, vt loquantur, & alios adhortentur.His quoque addebat, permagnum eſſe dæmonum numerum,qui nunc vltrò citróque oberrent, & iam inter mortales hîc verſentur. Namque ex India ſedecim Dæmonũ millia & octingentos exiſſe, quorum ſint in hac patria (nam ſic eſt locutus) quadringenti diuino mandato immiſſi. Denique ſe nunquam emi-

φλύαξος Dæmon.

Dæmones ſoluti & errabundi.

gtaturum ex eo corpore aſſerebat, vel ſi decies mille annos ibidem oppugnetur, niſi Franciſcus Gagnonus ſacro ſe Catholicorum polliceatur interfuturum, atque adeò quidem, niſi ipſe interſit.

CAP. 6.

Tantam autem & loquacitatem & pertinaciam perpendens exorciſta, ſacroſanctam tandem Euchariſtiam ſumpſit in manus, cuius virtute & præſentia imperauit, vt omnes quicunque eſſent Dæmones, inde emigrarent. Quo nimirùm ineuitabili & ſummo adacti imperio, ſe ibi iam tres non eſſe reſponderunt, quoniam Cramoyſius diſceſſiſſet. Cui cùm regreſſus eſſet denunciatus, pauculo pòſt tempore cum aliis adfuit. Quamobrē iuſſi ſunt omnes ſimul ex eo corpore emigrare. Verùm duos modò abituros reſponderunt, nimirùm Cramoyſium & Leuectionem, ſed manſurum Pierotyum. Poſtremò emigrandi ſignum fore, colaphum alicui in malam incuſſum. Neque vt aliud ederent ſignum, cogi vllis exorciſmis potuerunt. Ita videlicet pacti ſunt de emigrando. Et cùm ſacramento adigerentur, vt egreſſi in nullum poſtea corpus animantis vtentis ratione inuaderent, abnuebant: & in alia ſe redituros corpora dictitabant, ſimul atque Deus vel concederet, vel imperaret. Deinde aliquantò pòſt, cœpit ille Energumenus membris omnibus diſtorqueri: & ſurſum agitari, vociferaríque in Cramoyſium & Leuectionē, eos compellans, vt exirent, ſeque variè huc at-

Cramoyſius egreſſus corpore, iuſſu exorciſtæ reuertitur.

que illuc inuertens & exagitans. Et poſt hæc omnia retracto ad ſe ſumma vi brachio, ex eorum manibus qui ſe coërcerent (erant autem illi ſeptem vel octo) manu colaphum impegit, tametſi leuiter, in eorum quempiam, vti antè denunciarat. Denuò tamen Latinè eſt eis imperatum, vt inde emigrarent. Quibus verbis Cramoyſium & Leuectionem iam emigraſſe reſponſum eſt: At Pierotyum non exiturum, niſi præſente Franciſco Gagnono, & id faciente, quod iam toties prædixerat.

Duo emigrarunt Dæmones.

Cap. 7.

His ergo ad eum modum actis, venit in mēté exorciſtæ rogare de Aſtarotho, qui antè relicta Beelzebul ſocietate, fugam arripuerat. Quem reſpondit ille vltra Pariſiorum Lutetiam ad quindecim milliaria diſceſſiſſe, & in vico, cuius nomen eſt Acyum, miſeram quandam mulierem occupaſſe, quam & Mariam Dalexin nuncupabat. Sumpſit deinde in manus ſacroſanctam Euchariſtã, cuius virtute & præſentia denunciata, imperauit, vt protinus ex eo corpore emigraret. Se tamen non emigraturum dixit arrogantiùs, etiamſi vel inuito ſacra traderetur hoſtia: & ſi adigatur eò vſque, vt non impediat illam ſuſcipi. Ac dum ita concertatur ſeriò & acriter, hunc fœlicem & fauſtum ea res habet exitum, vt Energumenus mentem recipiat: & verba tum pacatiſſima faciat ad eos qui ſe coërcebant, orans atque obſecrans, vt in genua liceret procumbere, quòd ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipere percupe-

Aſtarothus fugitiuus vbi ſit.

Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipit ſaquieſcus.

ret. Eius voto cùm libenter paruiſſent, eam ſumma animi demiſſione ſuſcepit. Immortales quoque gratias Deo immortali ob eam rem canere auſpicatus eſt exorciſta, qui & ob ſceleratos eiectos duos dæmones canebat. Sed in extrema eius carminis clauſula, velut è ſomno excitatus ſpiritus, ad tragœdiam ſuam rediit, hominémque miſeris modis afflixit ac torſit. Quamobrem præcepit exorciſta, vt à torquendo temperaret, & in læui pedis digitum ad præſcriptum tempus ſe reciperet, eum tranquillo eſſe animo ita ſinens, vt quiduis fas ac licitum nullo iniecto impedimento ageret. Deinde precatus eſt omnes, vt eius cauſa Deum orarent, dum accerſitus Franciſcus Gagnonus veniret.

Aguntur gratiæ ob eiectos duos Dæm.

CAP. 8.

De quo quidem paulo pòſt venit ad Præſulem nuncius, qui in certo huius vrbis loco eum eſſe diceret. Vocatus eſt igitur, vt ab ipſo Præſule audiret, quodnam diuinum eſſet arbitrium ad inſtaurandam hominis ſibi conſanguinei valetudinem. Nam tendere hæc omnia ad reuocandos eius conſanguineos in viam à ſe rejectã, & ad meliorem mentẽ, hoc eſt, ad Eccleſiã Catholicam, Apoſtolicã & Romanã, à qua deflexiſſent. Huius rei cõmonefactus Franc. Gagnonus reſpondit ſe quidẽ ad Hugonothorũ cõciones nõ ire, ſed animo eſſe anxium dubiũque, dũ quæſtiones, quæ hodie controuerſæ habẽtur, apud ſe verſat, quas ſi quis ſibi expediret

Franc. Gagnonus accerſitur ad Reu. Epiſcopũ.

meliorem ſententiam eſſet amplexurus. Ad ea verba promptè ac libenter ſe paratum dixit Blendecius, & ſcrupulum, ſi quis vrgêret, amoturum, modò non pigeret ad ſe domum venire, vbi cōmodiùs, & vberiore otio, de ea re diſceptarent. Id verò pergratum ſibi eſſe tunc planè ille demonſtrauit, pollicitus etiam allaturum ſe libros, quos domi haberet, & flammis vrendos, ſi ita ſentiret ſtatueréтque Præſul. Quo dicto mirè placuit, velut certo mentis in melius mutatæ argumēto. Itaque vt eo perſeueraret animo, eſt admonitus, & vt eodem rediret ſub tertiam pomeridianam.

Æqua & ingenua omnia pollicetur.

Cap. 9.

Ad quam præſtitutam horam poſtea conuenerunt Reuer. Præſul, & ipſe Blendecius cum permultis aliis, ipſéque adeò Franciſcus Gagnonus. Auſpicium autem totius negotij ab hymno diuini Spiritus euocatore fuit: quo inchoato, miſerè Energumenus eſt agitatus, quē vix decem viri præſtantes robore continuerūt, cùm interim nefarius perſtreperet ſpiritus, & rogitaret vbi nefaſtus ille pædico eſſet, vbi idololatra: poſtularétque vt ſibi nulla mora adduceretur. Quem vt vidit acceſſiſſe ſpiritus rabibus & ſceleratus, rurſus eum idololatram inclamauit, & tam perditæ fidei hominem, vt nec Deo, nec Dæmonibus crederet. Se igitur non emigraturum, niſi ſacro Catholicorum intereſſet, quamuis ſolus ibi reſtaret: ſed nouis in dies tormentis hominem eſſe cumulaturum. Quorcirca vt ratione aliqua moueretur, hac

Hymnus Veni creator, intolerandus Dæmonibus.

vſus

vſus eſt Præſul comparatione. Quòd ſi, ô chariſſime amice, in fœdo & obſuro aliquo carcere vinctus eſſes, & prodiret quiſpiam tui liberator, vir probus, tota, vt opinor, vita eum coleres & amares. Ecce autem hic miſellus tibi conſanguineus, quem liberum per te fieri licet, & qui tua torquetur cauſa, an non quæſo aliquando eius te miſereſſet? Penes te eſt vt liberetur, ſi peruerſam animi ſententiam deponis. Ad ea verò ſic ille Præſulem audet rogare: An obſecro, ô Præſul, fieri hoc poteſt, vt hic mea cauſa torqueatur? Nam ſi quid ipſe offendi, culpæ admiſſæ luam pœnas meritas, & ſi quid peccauero atrociùs, damnationis pœnam ipſe feram. Ita quidem diſputator ille homo plebeius & ruſticanus, ac Philoſophiæ diuinæ vehemẽter imperitus. Sed ei reſponſum eſt ad hunc modum: Haud dubium quidem nobis eſt, neminem alterius cauſa pœnas æternas depenſurum, ſed temporariæ aliquando pœnæ immittuntur à Deò, vt aliorum cauſa ſatisfiat, vel vt ſalus inde cauſam accipiat. Quod & certis ſacræ ſcripturæ locis declaratum fuit. Hîc ergo contineri exorciſta non potuit, quin hominem his verbis admoneret: Quid hoc eſt, inquit, ô amice, quòd tu diuinarum literarum imperitus, tanta licentia diſceptare audes, ac in tanta hominum corona: & in paſtorem & Præſulem tuum, cuius dicto parere debeas, & tibi perſuadere, veriſſimum ac ſalutiferum eſſe quicquid dixerit? In eum verò diſputationem parare, vti

Reu. Epiſcopi adhortatio ad Fr. Gagnonum.

Reſpondet Gagnonus.

Replicatio ad eundẽ.

Exorciſtæ admonitio.

facis, ei eſt proculdubiò ſe anteponere. Mutato igitur ille animo, ſe pro vero & germano Paſtore & Præſule eum habere eſt profeſſus, & eius ſe vſurum conſilio in his quæ ad ſalutem animi faciant: idémque de libris ſuis pollicetur, quod iam antè dixerat. Magna tamen ſe dubitatione fluctuare in his, quæ de Miſſa, de Purgatorio, & de Sanctorum inuocatione dicerentur. Quamobrem votis omnibus optare, vt ſibi certi aliquid diffiniretur, ſecuturo videlicet verius & ſalubrius concilium de vera & ſyncera religione. Blendecius ad ea ſic adhortatus eſt. Quando iam aperta eſt animi tui ſententia, vt Reuer. Præſulis orationem fideliſſimam, & conſilium ſaluberrimum perlibenter audias, & toto ſtudio amplectaris quod probauerit, bonus videlicet & ouium amantiſſimus Paſtor: quid porrò eſt opus, aliud ſtatuere tempus huic præſenti negotio? Nam res tota in promptu eſt, & Præſulis voluntas notiſſima: neque obſcura eſt eius religio: quem neque ſperandum eſt aliquando mutaturum ſententiam intra quatuor aut quinque dies. Sequere igitur eius conſilium, tibi, & ei qui tua cauſa laborat, profuturum. Miſerum enim liberaueris, tot modis diuexatum. Ille tamen perſuaderi non potuit, quin res in triduum aut quatriduum produceretur. Ita tum dimiſſus, vt attentiùs apud ſe perpenderet, cùm egreſſus eſſet æde ſacra, ſecutus eſt abeuntem Guido Peſcheus, vir probus, de quo ſæpè antea. Qui deinde ho-

Duplicatio Franc. Cagnoni.

Altera exorciſtæ admonitio.

minem nactus, monêre cœpit, quanto ſe periculo exponeret, ſi procraſtinaret, & vitæ emendationem differret. Qua breui quidem ratione, ſed efficaci, opitulante diuino inſtinctu, hominem permouit: & eò induxit, vt in ipſo veſtigio ſtatueſit mores & vitam Catholicorum amplecti, totáque mente conſectari. Itaque rectà ad Reuer. Præſulem ſe confert, qui inde ob valetudinem exceſſerat, dum exorciſta munus inchoatum perſequeretur. Se ergo fore Catholicum profitetur, & ſacro interfuturum, quod ab annis aliquot intermiſerat. Qua verò hæc profitebatur hora, Dæmon tam miſerè Energumenum exagitauit, vt vix decem robuſtiſſimi viri ſatis virium ad coërcendum illum haberent. Et tanta vi eſt oppreſſus, eundem exire conantem ſentiens, vt repentè vociferatus ſit, omnes adhortans ad tenendum ſumma conſtantia: ſimulque immane quiddam oſtentans hianti ore, pauculo interiecto ſpatio, ſanum ſe palàm dixit, & dæmonem ſenſiſſe oris hiatu emigrantem. Quamobrem deflexus in genua, immortales egit Deo Max. & Opt. gratias: idemque cæteri factitarunt, concelebrantes Canticum illud commune, & planè cœleſte, *Te Deum laudamus*. Quibus & peculiares aptaſque addidit orationes exorciſta, vt eum corroboraret. His peractis, iam liberum, ſanum & valentem ad Reu. Præſulem deduxit, maximas acturum gratias pro tantis beneficiis, quorum futurus eſſet perpetuò me-

Frāc. Cognoni profeſſio Catholica.

Dæmon emigrat ab eo.

Gratiæ aguntur Deo.

mor, Deumque votis omnibus eorum cauſa precaturus. Poſtero die, ad ſolennem & publicam venit ſupplicationem lætus & alacer, manu cereũ geſtans, omnes ſui exẽplo ad gratias beneficentiſſimo diuino numini agendas inuitans & excitans. Hic igitur eſt huius hiſtoriæ exitus, ô Antiſtes Opt. quam nos ſumma diligentia proſecuti ſumus, cuíque gerendæ ipſi adfuimus in his quæ hac in vrbe tractata ſunt, quorum certa fides & recens memoria noſtris adhuc auribus & oculis obuerſatur. Tãtùm nunc ſupereſſe videtur, vt optemus quicquid hîc & in ſuperioribus hiſtoriis narratum eſt, prodeſſe ad hoſtium cauendas inſidias, qui ſaluti noſtræ capitali odio & ſumma ſceleratáque inuidia aduerſantur. Inde autem petantur remedia ſaluberrima: & inde doceantur omnes, opem Ieſu Chriſti præſentem implorare, quæ his quidem tẽporibus adeò neceſſaria eſt, cùm propemodũ terras omnes denſiſſimæ tenebræ occuparint, & diſcuſſa luce, dies ipſe videatur beluarũ ceſſiſſe immanitati, quæ nũc liberè & nullo pauore quocunque euagantur. Aſtrictæ olim illæ fuerunt, cùm veritatis lumẽ ſanis & integris oculis contẽplaremur, & ſuis ſe latibulis continebant, quæ nunc prodigiosè, omnium mortalium malo eruperunt. Et iam errant ac diſcurrunt molientes inſidias, quibus incautos capiant, & in prædã abducant, de eorũ ignauia & ſocordia triumphaturæ. Precemur igitur lucis omnis & diei autorẽ illum ſapientiſſimum, qui ſui ſplendoris in nos immittat

radios, vt vitiorum & peruerſarum opinionum tenebras diſpellamus, lucemque perſpiciamus veriſſimi eius Euãgelij, quo ceu fidiſſimo duce opera noſtra dirigantur, eius voluntati & iudicio grata & accepta: Hac enim profectò ratione & ſedulitate, tartarei illi hoſtes, & immanes aduerſarij, minus virium habebunt. Atque hęc demum vera & certa eſt doctrina, iſque hiſtoriarum fructus: quas legiſſe nihil profuerit, niſi ex eis documenta nobis colligamus, quibus ex bonis meliores euadamus, & alios, qui ab ouili Christi defecerunt, reuocemus, adhibito, quanto poterimus, ſtudio. M. D. LXXXII. Sueſſion.

Appendix de Aſtarotho dæmone fugitiuo, & de Laurentio per eum occupato.

IN quarta hiſtoria, quam Margaritam Obryam diximus, Aſtarothus Dæmon pauidus & fugax, ex eiuſdem Margaritæ corpore præ metu aufugiſſe dictus eſt. Quod & Beelzebul eſt teſtificatus, cauſam reddens cur ipſe & Legio pertinaciùs ſe gererent in retinendo occupato domicilio, velut in caſtris ſuis tuendis, quæ tum vi tenerent, hoc eſt, perſeuerando in mulieris corpore, quod quaſi ſuũ aſſerebant, aduerſus tot exorciſmorũ orationúmque tela in ſe coniecta. Neque ſolùm aufugiſſe Aſtarothum ille reſpondit, ſed locũ etiã deſignauit, quò confugiſſet, quid've ageret ac

moliretur: quanquam ei credendum vſquequaque non fuit, quippè mendaci, & veritatis diſſimulatori. Hoc tamen poſtea verum eſſe res ipſa docuit, cùm tandem coactus, exorciſta Blendecio adigente, ſe Aſtarothum eſſe faſſus ſit, eius noui domicilij poſſeſſorem, nempè Laurentij, qui tertio hoc iniquiſſimo & poſtremo tortore opprimeretur. Bis enim antea fuerat poſſeſſus & vexatus, biſque diuina gratia liberatus, ſed maximo tamen ad expellẽdos duos viciſſim dæmones, adhibito labore. Nam hic tertius eſt hoſtis & aggreſſor, fugax & erraticus ſpiritus: qui poſtquam iſtos adeò metuerat exorciſmos, quibus curata eſt diuina ope Margarita, eò commigrauit, vnde iam eiecti duo ſcelerati eius commilitones fuerant. Ab eo ergo eſt occupatus incautus & miſellus adoleſcentulus, cùm decimoſeptimo Calend. Auguſti rus profectus eſſet, ad herum ſuum Altrachij pagi incolam remeans, à quo ſutoriam artem docebatur. Ei enim tum iter facienti à tergo repentè & inopinatò interuenit vir ignotus, militari, vti videbatur, corporis habitu, cuius femora & crura viridi contecta erant. Chlamys autem ei erat violacei coloris, & galerus Leucophæi, cui fimbria villoſa & viridis attexta erat. Is ita, vt nunc dico, opertus, ſtatim vt mos eſt ei hominum generi, cum effreni linguæ petulantia, verbiſque vix huc ſine horrore referendis, cùm Deum planè ore blaſphemo identidem negaret, eum eſt inſolẽter adortus, ſimulque cum dicto in eius inuo-

Aſtarothus tertius occupator Laurentii.

Tẽpus occupati Laurentij. Primum ſpectrum.

Amictus Aſtarothi, & eius aggreſſio.

lauit galerum, cuius vinculum, quod criſpatum erat, detraxit, deiecitque in terram. Deinde paululùm egreſſus, mox rediit cum eadem oris & verborum inſolentia, periſcelidem quoque eius poſcens & abripiens: quam tum procul vel traiecit vel aſportauit, vt eò vſque aſpectare adoleſcentulo non licuerit, cùm ad duo inde miliaria proiecta illa ſit, vbi & poſtea eſt inuenta. Ac dum id facit, in eius præterea forfices manum iniecit: quarum correpto manubrio, eoque vi altera parte attracto & retento, non antè conquieuit, quàm laxato ſolutóque conatu adoleſcentulus humi in tergum retrò deciderit. Quo velut inſigni patrato facinore, ille cum riſu abiit, euanuitque: adoleſcentulus verò eo terrore perculſus, domum repetiit, & triduum deinde ſe placide geſſit. Sed mox ad herum ſuum reductus, nouo ſpectro affectus eſt. Atra enim proceráque hominis ſpecies, ferreum intentans harpagonem, ei ad lectum aſtitit, quæ ſuperius tabulatum capite contingeret, ſplendoremque neſcio quem ibi perfunderet. Et ea fuit ex eo tempore valetudo, vt afligi torquerique perinde ille cœperit, atque antea aliquando diſcruciatus fuerat, quemadmodum omnia de ipſo ſedulò deſcripſimus. Aquam luſtricam auerſabatur, ſuóque iugulo gladium admouebat, præpoſterè gerens omnia, conſcindénſque ac dilacerans: & vix coërceri poterat. A matre domum inde abductus, ſoricis ſpecie, cum longiſſimo caudæ tractu, nouum ſpectrum habuit, idque Dæmon

Secundum ſpectrum.

Tertium ſpectrum.

poſtea eſt confeſſus: Et cùm ſubinde recurrente morbo agitaretur; tandem vndecimo Calend. eiuſdem menſis Auguſti, inter eiuſmodi tormenta, matrem rogauit adoleſcentuli, an ſibi reddi vellet criſpatum galeri vinculum. Ea annuente, & ſuum id eſſe aſſerente, quæ comparaſſet nummis pro eo ſolutis, cùm ſimul & Claudina Galleta eius adeſſet ſoror, ille tametſi nefarius ſpiritus, quaſi tamen æquitate aliqua victus, paratum ſe ad reddendum, reſtituendumque ait: atque illicò velut ſtomachatus, & vi adactus, adoleſcentuli os lato hiatu aperuit, cuius ex faucibus, tanquam ex orco & barathro quodam foras vinculum criſpatum euomuit. Id vinculum idem Blendecius inde egreſſus poſt exorciſmos peractos, liberatúmque eo Dæmone adoleſcentulum, Sueſſionem attulit: quod & vidi, & tenui: ipſumque etiam Laurentium adoleſcentulum quarto Idus Septembris menſis, quo tempore hæc ſcribo, vidi bellè habentem. A tergo in eo vomitu coërcebat continebatque filium mater, & antè ad vultum oriſque hiatum, eius aſtabat ſoror, oculis attentiſſimis inſpectans, quæ certò confirmauit, dum intrò ſpectaret accuratiùs, atras vidiſſe fauces, terrificum quiddam portendentes, inſequenti die, cùm torqueretur vehementiùs, & dicteriis, tamen, vti ſæpiùs antea fecerat, Parochum ſuum aſtantem ſtimularet & appeteret, ei Latinè multa dicenti & imperanti, luſtricámque aſpergenti, cùm interim idem ille omnes conſpueret

Vinculum galeri vomitu redditum.

Latinè dicta intelligit Energumenus.

calcarétque, ſignificauit ſe aſſequi quid diceret, cùm ad ſingula promptè vernaculo ſuo idiomate reſpondêret. Tunc etiam cõmemorabat, quæ triennio antè ipſe velut hoſpes ignotus, eo loco egerat, & adhortatus erat facere, quæque notiſſima tum haberet, qui narrantem ipſum audiebat. Sua furta, aliorúmque facinora non tacebat. Poſtero die ad ſacram ædem delatus, multis à Parocho adactus interrogationibus, ſibi nomen primùm Daloco ementitus eſt, idque ſæpiùs repetendo: ac tandem cauſam rogatus, cur in eum inuaſiſſet adoleſcentulum, Parocho non ſine indigniſſima verborum contumelia, planè reſpondit, Ob eius dominum ſe id corpus occupaſſe: & eum quidem Dominũ, qui cœlum terrámque condidiſſet. Denique & tempus expoſuit, quo in Laurentium introiſſet. Sed tandem cùm vrgeret Parochus, imperans vt emigraret ex eo corpore: & ni faceret, comminaretur ſe daturum illi in potum luſtricam, mox labi eum ſiuit in terram, & torquêre deſiit. Ita tum recepta ille mente, confeſſus eſt ſacerdoti culpas animi, & ſacroſanctam deinde ſuſcepit Euchariſtiam, animò demiſſo, & ad omnem religionẽ compoſitò. Tertio pòſt die, cùm recrudúiſſet morbus ille tortor, matri cauſam ſciſcitanti indignabundus reſpondit ſpiritus, vicies ſe eo diris eum tormentis, affecturũ, quòd præuidêret vel eo ipſo die, vel in craſtinum Sueſſione venturos iſtos, quos Promotores vocitabat: à quibus ſe expellendum breui nuntiabat: & ad quorum aduentum peſſimus

Vera cauſa occupati Laurentij.

Euchariſtiã ſuſcepit Laurẽtius.

Prædicit futura Energumenus.

hic Laurentius eſſet alacer occurſurus: quẽ tamen in eorum oculis egregiè, inquit, excipiam & diſcruciabo. Ac ipſo quidem die Blendecius, qui officio ſuo, quoad potuerat, omnia antè in eiuſmodi re præſtiterat, & hoc negotij præterea à Reuerendo Præſule Sueſſionenſi ſuſceperat, ſub ſecundam pomeridianam horam, comitante illi Ioan. Pinſonio Canonico aduenit. Qui ambo, loco appropinquantes, inopinatò ad ſe occurrentem Laurentium, qui tum ruri agebat, animaduerterunt: à quo pòſt & eius matre ad Parochum rectà ſunt deducti. Ibi dum ea, quæ notauimus, ſcripto mandarentur, Laurentius inopinanter affligtari & agitari cœpit. Quamobrem in ædem ſacram, vt locum ei rei tractandæ commodiorem, eſt delatus. Quo in loco Blendecius finitis Veſpertinis orationibus, ſe ad exorciſmos adornauit, quanquam interpellante Energumeno, & inclamante eum non eſſe ieiunum. Primùm igitur ſacri ac venerandi Diuorum quorundam cineres promuntur à Pinſonio, eius ſtomacho admouendi: quorum ille contactu vehementer concitatus eſt, & ſuo more ad contumeliarum aculeos ſe conuertit, nugáſque & verba ineptiſſima: neque adduci poterat vt nomen ſuum verè ederet: qui nunc Aroco ſe falſo appellabat, nunc ſibi magiſtrum eſſe Antichriſtum: & nunc ſe mendacem dici, & eſſe non inficiari. Cúmque denuò tandem ſacris verbis adigeretur, vt ſeriò magiſtri nomen exponeret, Da, inquit, iterum mihi duos aſſes,

Blendecij exor. iſte aduentus.

Sanctarum Reliquiarum vis.

Atque ad ea Blendecius, velut obſcura ſibi ænigmata, cùm ambigeret quidnam hoc eſſet, animíque penderet, nihil ſe ei donaſſe dixit. Ille autem contrà & ipſum donaſſe, & ſe accepiſſe. Itaque venit poſtea ipſi Blendecio in mentem, duos aliquanto antè tempore ſe donaſſe aſſes cuidam adoleſcentulo, literarum & ſtudiorum nomine & fauore, cùm is ſe literarum ſtudia colere & ſectari diceret, Latináque quapiam oratiuncula ſe ſalutaſſet, vti viator aliquis peregrè ex Academia egreſſus ad ſuos remeans. Id autem factum eſt, cùm Sueſſionem ille veniſſet. Quamobrem rurſum Blendecius cuidam ſe ſcholaſtico (ſic enim locutus eſt) donaſſe ait aſſes duos. Cùm autem ſe ille Scholaſticum negaſſet, duos tamen accepiſſe ab eo aſſes aſſeruit: & mox eum ſermonem velut certum omninò verúmque omittens, ad Pinſonium ſe conuertit, quem his verbis, quaſi memor cuiuſdam iniuriæ increpauit: Tu verò, ô dure & improbe hoſpes, me abegiſti: neque obolum quidem poſcenti ſtipem contuliſti. Ea vox altè in animo Pinſonij inſedit: qui cogitare ac recordari cœpit, illum ipſum eſſe, quem diceret Blendecius Scholaſticum, & eundem à ſe repulſum, ac ne teruncio quidem donatum. Ita enim profectò mihi narrauit Pinſonius, & ſe tunc adfuiſſe, cùm ſuos illos duos promeret aſſes eidem viatori Scholaſtico Blendecius: tumque ſibi veniſſe in mentem iſtius amicti viridi ve-

Aſtarothus viator, & adoleſcentuli ſpecie.

ſtitu, de quo antea tam multa egimus: dixiſſéque his verbis: Si hic viridi veſtitu totus amictus eſſet, ego famoſum illum eſſe crederem, qui tam celebri rumore apud nos percrebuit, maximéque apud Nouiodunos. Addebat quoque huic mihi factæ narrationi, illum poſtea eo ipſo die nocte iam incumbente, domum ad ſe iterum veniſſe, eadémque vſum Latina oratiuncula, qua tamen nihil eſſet commotus: ſed ita eum cõmonuiſſe, non probari ſibi iſtas peregrinationes, maximéque eorum, qui tam tenella eſſent ætate: & qui dum abſunt à ſcholis & lectionibus, tantũ ſibi temporis fruſtrà elabi & perire faciunt: ſatius verò eſſe, vt ea ætas contineatur in ſtudiis. Itaque hortari & monêre, vt relicta repetat ſtudia, & inutilia iſta ac dãnoſa omittat diuerticula. Hæc ſe illi tum aic optare, & vice ſtipis elargiri. Eiuſmodi quidem argumenta de illo nouo & nefario ſpiritu, magni profectò ad hanc rem, quam agimus, momenti videntur: & cùm hæc colliguntur, atque inter ſe conferũtur, valde cõſentanea eſſe huic inſtituto apparẽt. Eadem enim tum verba, tum facta ille recẽſuit ſpiritus ſceleratus, quæ & exorciſta Blendecius & Pinſonius certiſſima & compertiſſima habent. Neque reſtabat aliud quàm vt audiretur, quo ſe ille nomine appellaret. Et certè concludenti exorciſtæ atque obiicienti, Aſtarothum ipſum eſſe haudquaquam eſt inficiatus, ſed eum eſſe ſe eſt confeſſus, qui è corpore Margaritæ Obryæ aufugiſſet. Quod

Nomẽ ſuũ profitetur.

multorum quidẽ ſuſpicioni & coniecturæ ſatis reſpondit, qui nouum quiddam & inauditum de iſto adoleſcentulo paſſim prędicabant, & etiamnum prædicant. Non ſolùm enim ad eos duos ille acceſſerat, ſed ad alios huius vrbis quamplurimos, quorum fores & oſtia liberè pulſabat, velut quodam ordine progrediens, & de re ſeria communicaturus. Primùm enim, vt iure & honoris cauſa, vti debeo, hoc anteponam, ad Reuerendum noſtrum Præſulem ille adiit, eadem inſtructus & vſus Latina oratione: qua ſui aduentus cauſam, & vnde prodiret, & quid peteret, recenſebat. A quo & ſtipem, hoc eſt, nummum aliquem abſtulit. Erat enim eiuſmodi oratione non ſolùm gratus & iucundus, ſed & ea ætate admirandus, quæ credita eſt annorum quindecim. Chlamyde quoque ſubnigra amictus, & eo tectus galero, quo iam vulgò plærique vtuntur. Et vt hoc etiam nunc addam, tibialia viridi colore ei ſplendeſcebant. Atque hæc ſanè erat eius ætas & ſtatura, & hic veſtitus. Sed & ad alios non paucos iuit cum eodem illo orandi apparatu. Denique, vt tot ab eo ſalutatos prætermittam, ne ſim longior: aut fortè aliquorum iudicio περίεργος ϗ πολυπράγμων appeller, hoc vnum tantùm referam, quod ipſe certò ſcio. Meas porrò ille pulſauit fores, & pueris meis dixit eſſe quod loqueretur: Aurelianúmque ſe diſcipulum quempiam, qui hac iter iuſtis de cauſis faceret, rogarétque, vt per eos liceret paucis me adire. Ego de illo mox certior ab eis factus, cum audiſſem diſcipulum quendã

Salutat quamplurimos.

Ætas & ornatus eius.

Ad me hæc ſcribentem venit.

illum eſſe, cœpi illicò cogitare, fortaſsè ipſum non ab Aureliis ſolùm, ſed & Pictauis adeſſe, vbi & iuris diſcendi cauſa alo adoleſcentem fratris filium. Itaque illi me adeundi alloquendique copiam facio. Statim igitur rectà in aulam meam ingreſſus, proximè ad me acceſſit, & Latinas aliquot periodos mihi percurrit de ſe & ſuis ſtudiis. Nam Padua ſe venire aiebat, vbi artes ingenuas didiciſſet. E quibus ſiue id caſu, ſiue genio neſcio quo ſuggerente, duas mihi attigit artes, quibus operam ibidem ſe dediſſe referebat, dialecticam & Iuriſprudentiam. His artibus auditis, cùm paruulam eius & ſtaturam & ætatem circumſpectarem & perpenderem, rogaui quot annos eſſet natus. Se verò quindecim annorum eſſe dixit. Deinde cùm paulum quiddam exorſus eſſem rogare, an Iuris Pandectas legiſſet, illéque eas tantùm à limine ſalutaſſe (eius enim hæc verba ſunt) reſpondiſſet, deſij plura percontari in eam rem: & aliud atque aliud ei attuli, cùm interim nonnullos mihi notos crebrò vſurparet, rogitarétque an noſſem, quos nolim hîc modò complecti. Cúmque rogarem

Mendacia eius. an ſolus eſſet ſine comite, patrem ſibi quoque hîc eſſe dixit, arte pictoré: & patruum ſibi eſſe Venetiis: patrémque ſuos errores in Italiam cōſecutum, & ibidem artem pictoris exercuiſſe. Qui dum domeſticatim ad eum modum ſalutatum pergeret, apud decanum noſtræ Eccleſię, vti dicebat, hoſpes erat: eodémque ſe aiebat, poſt peractas quas inſtituiſſet ſalutationes, recepturum. Nam ſtatuerat, vt mihi tum com-

memorauit, eos iſto ſalutationis officio proſequi, qui vel dignitatis vel literatum nomine commendarētur in hac tota vrbe. Itaque à me egreſſus, ad omnes ferè, qui iſta commendatione valerent, adiit: nec præterea quorſum abierit, aut ad quem diuerterit, noui aut audiui. Vnum hoc ſcio, patrem, ſi quis eius pater fuit, nunquam ibi viſum hoſpitem, vbi mihi tam impudenter eſt mentitus. Audiui autem deinde è nonnullis, ad quos tum adiiſſet, aliud diuerſúmque ab eo eſſe narratum, & regiones alias diuerſáſque eſſe commemoratas, vnde aduenirет. Sum verò hoc inſuper admiratus vehementer, cùm de ſuorum ſtudiorum genere nihil apud alios explicaſſet, apud me tamen certò dialecticam & Iuriſprudentiā nominatim retuliſſe. Quas nimirū artes hîc domi tracto ſæpiùs, cùm Dialecticam quibuſdam horis, cùm vacat, interpretor, pueris meis aliquot, & Iuris Canonici Inſtitutiones. Atque ille, opinor, eas mihi deſignabat artes, vt poſtea id altiore animi cura perpenderem. Quem cùm aliquandiu colloquens eſſem remoratus, ipſéque ſe iam abire diceret, atque ad limen aulæ meæ tum egrederetur, reuocaui, vt ſtipē caperet. Etenim diſcedebat velut aliò properans. Itaque illi tres nūmos, qui primi in manū è loculis occurrerūt, ſingulos quindecim denariorū Gallicorū protuli, & iuſſi vt caperet. Ita tū demū ad alios gradatim ſe cōtulit, donec tandē obſcura nox palā tenebras induxit: & poſt illa nemo prorſū ſēſit, quid illo factū ſit. Atque hæc quidē ita euenerunt poſtero die, aut ad ſummū altero poſtquā *Tēpus eius excurſionis.*

effugiſſet Dæmon Aſtarothus è corpore illius Margaritæ Obryæ: quem præ metu exiſſe & fugiſſe Beelzebul reſponderat. Is autem ille eſt, de quo nunc agimus, & qui ad iſtius Laurentij adoleſcentuli occupandum corpuſculum diſceſſerat: quíque ſe Aſtarothum eſſe reſpondit quinto Calend. Auguſti, cùm exorciſta Blendecius ipſum interrogaret Laurentium, vrgerétque Dæmonem vt nomen ederet. Et ille proculdubiò eſt, qui militari habitu ſeſe antè ipſi Laurentio obtulerat, & eius galeri detraxerat vinculũ, quod raptim ablatũ retinuit, & momento eodem, quo iſta gerebat, in corpus Laurentij, vt credibile eſt, ceu turbo quidam rapidus inuaſit. Quod ſanè verum certumque eſſe intelligetur, ſi meminerimus, quæ Blendecius ſimul cum Pinſonio, in eius Laurentij vico natalitio certò compererunt de galeri vinculo: quod ex eo quidẽ die, quo vi raptimque ablatum eſt, videri non potuit: & quibuſdam ſemper interuallis ipſe Laurentius afflictatus & vexatus fuit, tametſi ipſum nihil culpæ admiſiſſe eſt confeſſus ſceleratus ſpiritus, nec cauſam dediſſe, cur eum potius quàm alium torquêret: neque ſe prohibitum antea quo minus id faceret, cùm nihil ſibi eſſet imperatum, abſenti ab exorciſmis aduerſus alios factis. Plæraque etiã alia nugabatur de Margarita Obrya, quam periculo nouæ obſidionis & occupationis expoſitam dicebat: & de Laurentio nullam tum cauſam explicare voluit, cur in eum inuaſiſſet. Sed cùm porrò adigeretur, an is eſſet, qui nobis notum

Laurẽtius ſine culpâ.

tum

tum vicinúm jue, de quo iam antea, Petrum Moreau obſidêret, ac modis oppugnaret variis, primùm ſuo more ludificari, ac magnum quẽdam illic Hiſticar dicere (ſic enim appellabat) manúmque perpetuò mouêre, nouo quodam geſtu, velut quippiam abigentis: quod quidem etiam geſtu ex tempore compoſito ille referebat: addebátque Blendecium ipſum ſcire quod rogaret. Nam ſacramento illum adegiſſe & tentaſſe: denique & nomen ſuum iã eſſe proditũ. Ad hæc adiecto & inuocato diuino nomine, vt planè fateretur, an adoleſcẽtuli ſcholaſtici ſpecie fores ipſius Moreau aliquando pulſaſſet cúmque ad iniquiſſima & ſceleratiſſima quædã eſſet hortatus, apertè eſt confeſſus, & ſe quidem eum modis omnibus oppugnare, ſed circumuallatum & protectum eſſe ſumma diligentia, nimirùm incredibili animi pietate, cõtinuiſque precibus, quæ omnes illi obſtruerent aditus, quominus inſinuari & illabi poſſet. Eadem verò res mihi nota eſt, qui hominem noui, & ſæpè alloquor, ſcioque probitate & literarum cognitione apprimè eſſe commendatum, nec oppugnari ſe & obſideri inficiatur: ſed armis Chriſti inſtructus ſe tuetur, fide videlicet conſtantiſſima & integerrima, cęteriſque Chriſtianorum Catholicorum fidelibus munimentis, quę ſatis antea in deſcribendis ſuperioribus hiſtoriis expreſſimus. Arcet enim ac repellit ab ingreſſu hoſtem non deſinentẽ moliri inſidias, ſeque ſubinde imaginibus quibuſdã eius oculis offerentem. Et is quidem hoſtis, vt mihi nar-

Oppugnatur ab Aſtarotho hic nominatus & notus.

Munimenta contra Dæmones.

rauit obſeſſus, ſic eum ſępè appetit, vt aliquando in fimbria, & ſumma ſubuculę ac veſtiméti ora inſideat & lateat, aliquando in barba, & plærunque ac maximè quidem & laborioſiſſimè in tergo: tam certo ibi facto quodam motu & pondere, vt ille planè ſentiat ſe pertrahenté, & deorſum mouenté atque onerantem. At nūc velut obſurdeſcens & occaleſcens ad cruces, quibus antea mouebatur cedebatque, peruicax inſiſtit, & quippiā nonnunquā obiectat igneū ad terrendum, vt magna ſanè & vigilantiſſima cautione ſit opus, aduerſus hoſtem tam importunum, improbum, & pertinacem, támque impudentem, qualem eſſe illum mihi ipſe cōmemorauit, referens inſuper quàm improbis cogitationibus & infandis conſiliis eius animum ſubagitet & ſtimulet. Vltrò citróque tum ad ipſum Laurentium, tum ad hunc quoque commeabat incredibili velocitate, vti exorciſtæ admiranti, & de ea re percontanti reſpondit. Ergo cùm velut ludibrio ageret, neque certi quicquā diceret de ſuo diſceſſu, in craſtinum id negotij reiecit Blédecius. Is dies Dominicus fuit, quartus ante Calēdas Auguſti. Interdictæ verò tum illi ſunt ab eodem Blendecio ſuperiores corporis partes: & imperatum eſt, vt ne quid ei obſtaret vel cibo, vel potu, vel ſomno & quiete vſuro, vel aliis omninò neceſſariis ad vitam degendam muneribus, & vt quieſceret, donec ab eo vel alio exorciſta euocaretur. Paruit auté alioqui irrequieta & ferociſſima belua, & Laurentium non inturbauit ad craſtinum vſque diem,

Peruicacia & improbitas Dæmonis.

Prohibitus Dæmon & coactus.

Paret Dæmon Aſtarothus.

eámque horam, qua finitum ſacrũ fuit, quando nimirùm compellari cœpit ab exorciſta, & rogari quo ſe nomine appellaret. Nam ſe tunc Aſtarothum eſſe clarè eſt profeſſus, neque vllũ ſibi eſſe in eo corpore ſocium: & ſe eundẽ quoque eſſe, qui Petrum Moreau, de quo toties antea, agitaret, omníque conatu, & qua fraude poſſet, adoriretur, ſed emigrationis ſuæ indiciũ nullum fore: neque tum ſe emigraturum, quãquam adoleſcentulum à culpa omni liberum torquêret: & parentum eius nulla culpa iſtis cauſam daret tormẽtis. Se verò inuitum eò immigraſſe: Et ſi tunc ſanctè adactus fuiſſem, inquit, ſacramentóque compulſus, ne vllum in corpus denuò poſtea inuaderem, hîc non agerem. Multa ille ad eum modum reſponſitabat: & cùm ſibi interminatum audiſſet exorciſtam, imperantémque vt ad inferos præceps iret, ſe non iturum dixit, niſi Deo imperante, & eò demittente: ſuam tamen proteruiã, ſuumque ferox & ſuperbũ ingenium diſſimulare non potuit, cùm ſe paradiſo depulſum meritò fateretur: & nunc quidem maximè vrgeri ad veritatem non tegendam, qui à ieiuno exorciſta premeretur, vt iam ſibi non liceat tergiuerſari, & mendaciis abuti. Sibi ergo emigrandum non negabat, iuſto & ineuitabili Dei imperio cogente: ad quem exitum pręſcriptam eſſe horam vndecimam fatebatur. Atque hoc addebat, à Deo ſe eodem immiſſum, & ad eius gloriam hæc omnia fieri: & ad proponendum hugonothis reſipiſcendi exẽpluminuitamẽtúmque,

Obſeruet hoc exorciſta.

Ieiunij vis.

Hora emigrationis.

Cauſa occupati Energumeni.

vt in poſterum magis Deo quàm Diabolo freti ſint, cui nunc ſunt prorſus addicti. Quos cùm à ſe edoctos non inficiaretur, eorum etiam neminem iſto nomine iſtáque religione & doctrina, quando moreretur, peruenturum eſſe in cœlum & paradiſum dicebat. Hoc igitur loco Blendecius populum ad precandum eſt adhortatus atque ad agnoſcendam Dei gratiā in editis ad eius gloriam miraculis: quem votis omnibus, implorandum eſſe admonebat, vt hic miſellus, eius clemētia bonitatéque tanto cruciatu liberaretur. Deinde ſumpta in manum ſacrata à ſe hoſtia, acceſſit ad Energumenum, ſpiritui nefario imperans vt emigraret. Ille autem velut procraſtinans, nondum ad exitum ſuum, præſtitutum veniſſe tempus reſpondit. Quamobrem exorciſta aliò ſermonem vertens, cùm rogaſſet nonnulla, & ſpectatores auditoréſque intellexiſſet nondum eſſe vndecimam horam inter ſe muſſitantes, ſed haud procul abeſſe, rurſum illum interpellauit, ſcitatus an mandato eſſet pariturus. Atque ad illud annuēti, cùm ad inferos abire iuſſiſſet, eò ſe ille profecturum dixit, quò diuinæ libêret maieſtati: & tunc denique hoc ſigni in ſuo diſceſſu daturum ſe ait, quòd læuum illi crus diſtorquendum eſſet. Data igitur occaſione Blendecius diuinam ei proponens virtutem, & pręſentiam vimque ſacroſanctæ Euchariſtiæ, imperauit vt emigraret, corpus adoleſcentuli ſaluum & incolume omittens, ipſúmque adeò crus, quod à ſe peruertendum diſtorquendúmque dixerat. Nulli ve-

Sigrū emigraturi Dæmonis.

Imperata Dæmoni.

rò omninò quicquam afferret nocumenti,nec in poſterum in hoc remearet corpus, nec in vllum aliud vnquam introiret. Cui ſanè mandato cùm ſe morem geſturum oſtendiſſet, ſimul oſtẽdit iam Deo imperanti nó licere moras prætexere. Quocirca iuſſus & adactus,cùm præfixum veniſſet diſcedendi tempus, cœpit grauiùs diſcruciare adoleſcentulum, immutata diſtortáque eius facie, nouo & prodigioſo modo: Atque vbi crus diſtortum fuit, eum velut mortuum iacentémque omiſit. Qui poſtea ad mentem rediens, coniunctis è veſtigio manibus, admirans & ſtupens viſus eſt vehemẽter,pudoréque ſuffuſus vndique,quòd ſe thorace exutum vidêret. Nam mater eum exuerat ob æſtum immodicum, qui tum in media turba erat acrior. Itaque pro more ſuo, à matre ſumpto indutóque thorare, ad aram propiùs cum illa accedit, ſimul accedentibus auunculo & amita: qui omnes ſacroſanctam Euchariſtiam demiſſis animis acceperunt, cùm interea hymnus ille Diuorum Ambroſij & Auguſtini celeberrimus ac notiſſimus omnium vocibus publicè enunciaretur, gratiæque à toto cœtu, æterno & beneficentiſſimo Deo agerentur, cum laude & gloria perpetuò illi aſcribenda & concelebranda. Nunc ergo ex hoc tam miſerè occupato corpuſculo, diſcedente Aſtarotho, fugitiuo & erratico Dæmone, videndum etiam atque etiam, vt omnis ei aditus occludadatur, ne per iniuriam & ſocordiam cuiuſquã pateat animus ad eum admittendum: Metuen-

Crus diſtortum ab emigrante Aſtarotho.

Liberatus Laurẽtius.

Gratiæ Deo actæ.

Adhortatio.

dum quoque non mediocriter, ne quemadmodum in hoc Laurentio antea accidit à Bonnorio & Lanneſſono dæmonibus: vtque in Margarita Obrya, ita hîc tandem eueniat in eo, quem ſe obſidere & tentare non inficiatur. Laurentio enim, vt in hiſtoria videri poteſt, ſexennio illuſerat hoſtis circumſidens, antequàm in intima eius penetraret: & triennium Margaritam circumuolitans, nouo commutatóque ſpectri genere Dæmon acceſſerat, priuſquàm introrſum in eam irreperet. Neque enim facilè ab inſtituto auertitur eiuſmodi ſpiritus, ſi quid ſemel obſtinatè ſuſceperit tentandum: & arcana valde ſunt Dei cõſilia atque arbitria. Denique vetus & mirè ſubtilis eſt ars Dæmonum: qui corpora humana ſæpùs aggrediuntur, non quæ culpis grauioribus ſint ſemper obnoxia: ſed pro ſummo & abdito diuini numinis iudicio & permiſſu etiam accidit, vt probis & innoxiis pœnæ nonnumquam inferantur, vitioſis prætermiſſis, vt docet planè cæcus ille natus, Ioannis c.9. M.D.LXXXII.

FINIS.

DE ENERGVMENIS, QVI, ET VNDE DICANTVR: ET QVI E ſacris conciliis Canones, eorũ meminerint.

ENergumeni. οἱ ἐνεργούμενοι, ἀπὸ τοῦ ἐνεργεῖσθαι, dicũtur à Dæmonibus obſeſsi vel occupati & qui ſpiritu periclitantur. Nam etiam Ἐνέργημα non ſolũ vis eſt & efficia, ſed & vexatio Dæmonũ, & numinis quoque afflatio, vt in vtrámque partem ſignificet.

Primus Canon, qui eſt decimus ſeptimus Ancyrani Concilij.

Sanctæ ſynodo placuit, vt eiuſmodi homines, (videlicet ſuperiore proximo canone. 16. notati) inter eos orarent, qui tempeſtate iactantur, & qui à nobis energumeni intelliguntur.

Circa annum Domini, 308. hæc in Ancyra vrbe Galatiæ ſtatuebantur, cum & mores hominum corrupti eſſent, & religio variè agitaretur. Idolis enim immolabant, in eorum epulantes templis: & ſcelerato quodam ritu etiam in remotis locis feſtos dies celebrantes. Quorum plærique vitam brutorum more fœdiſſimè agebant. Auguria, auſpicia, ſomnia & diuinationes obſeruabant: & paſſim maleficas tractabant artes. Erántque inſanæ & inuerecundæ tum mulieres quædam, dæmonum illuſionibus actæ & morigeræ, nocturnis horis, cũ Diana, vt ſibi videbantur, equitantes, & multa terrarum obeuntes ſpatia. Cætera auté, ne ſim longior, prætereo, & ad inſtitutum venio.

Secundus canon, qui eſt viceſimus nonus, Elebertini concilij in Hiſpania.

Placuit ſynodo, vt Energumeni, qui ab erratico ſpiritu exagitantur, nomen neque ad altare, cum oblatione recitaretur, neque permitteretur energumenus ſua manu in eccleſia miniſtrare.

Tertius Canon, qui eſt triceſimus ſeptimus, eiuſdem Elibert. Concilij.

Eos qui à ſpiritibus immundis vexentur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. Si verò fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abſtineant à communione.

Circa Sylueſtri Papę. I. tempora, qui ab anno Domini. 313. ad 332. vixit ſummus pontifex, hæc ſtatuebantur, cum & flamines etiam tum eſſent in Hiſpania, idoliſque ſacra funeſta fierent. Sed & coniugia miſcellanea inter Chriſtianos, Iudæos, Catholicos & hæreticos. Apoſtatæ quoque plærique dicti fideles, & domi idolorum cultus nefarius, Augures & pantomimi iucundiſcimi: Et ſæpius adulteria commiſſa notabantur, Itemque inceſtus & lenocinia frequentia & vulgatiſſima. Omitto alia infinita, quæ occurrunt lectoribus in excutiendis eorum temporum moribus corruptiſſimis.

Quartus Canon, qui eſt ſeptimus Concilij Carthaginienſis. 4. Vbi de officio Exorciſtæ agitur.

Exorciſta cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellũ, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, Dicente ſibi epiſ-

copo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum, ſiue baptizatum, ſiue non baptizatum.

Quintus Canon, qui eſt nonageſimus eiuſdem Carthaginienſis Concilij.

Pauimenta Domorum Dei Energumeni verrant.

Sextus canon, qui eſt nonageſimus ſecundus eiuſdem Carthaginienſis Concilij.

De victu Energumenorum.

Energumenis in domo Dei aſſidentibus, victus quotidianus per exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.

Ex his multos tum fuiſſe Energumenos colligi poteſt, & quô reciperentur, quídue agerent, & quorum impenſis alerentur, quanquam non omnino otioſè, cùm videlicet eos torquere ſpiritus improbus & ſceleratus intermitteret. Idē prope nos ipſi hîc in noſtra Sueſſionenſi vrbe vidimus, in eis, qui adducti ſunt. Quod ſanè hominum genus ita vexatum & afflictum, tot iam ſeculis ſpectatum apud nos non erat, atque ideo maiore fuit admiratione & propemodum ſtupore acceptum. Credo equidem id permiſſu arbitrióque diuino eueniſſe ad erigendam fidem catholicam vſque adeò afflictā, & quod in multis eſt, oppreſſam vndique. Sed pergo.

Septimus Canon, qui eſt decimus tertius concilij Toletani vndecimi.

De Sacerdotibus, qui vexantur à ſpiritu.

Bene maiorum regulis definitum eſt, vt Dæmoniis aliiſque paſſionibus irretitis, myſteria ſacra tractare non liceat. Ideo definimus, vt nullus de his, qui in ter-

ram arepti a Dæmonibus eliduntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſsi ſe diuinis ingerant ſacramentis: exceptis illis, qui variis corporũ incommoditatibus dediti, in huiuſmodi paſsionibus in terram approbantur eliſi. Qui tamen & ipſi tandiu erunt officij ſui & ordine & loco ſuſpenſi, quouſque vnius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi, inueniantur ab incurſu Dæmonum alieni.

Octauus Canon, qui eſt decimus quartus eiuſdem Toletani Concilij.

Ne pſallenti vel ſacrificanti accidat pernicioſa paſſio vel corporis quælibet valetudo, quæ aut corpus ſubitò ſubrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat: ideo inſtitutum, vt vbi commodum erit & licebit, habeat pſallens deo atque ſacrificans poſt ſe vicini ſolaminis adiutorem, vt ſi aliquo caſu turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, à tergo ſemper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.

Idem autem concilium Toletanum vndecimum, actum fuit circa annum Domini. 653. Et hoc poſteriore canone ſignificatur id morbi genus frequens eo tempore accidiſſe. Grauiſſimè enim tum peccabatur apud eam gentem in articulis fidei chriſtianæ, vt in fide, de proceſſione ſpiritus ſancti: de trinitate: de perſonis diuinis: de naturis in Chriſto: & in articulo de reſurrectione mortuorum. In ſumenda quoque & tradenda ſacroſancta Euchariſtia indigniſſime & inſcienter admodum ſe habebant. Erant etiam eccleſiaſtici & ſacerdotes auari & ſimoniaci, odiiſque & diſcordiis inter ſe diuiſi.

Nonus canõ, qui eſt ſexageſimus, Cõſtanti-

nopolitani ſexti generalis concilij.

Eos, qui ſe Dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate, eorum figuram & habitum ſimulare præ ſe ferunt, viſum eſt omnimodo puniri, & eiuſmodi afflictionibus & laboribus eos ſubiici oportere, quibus hi qui à Dæmone verè correpti ſunt, vt à Dæmonis operatione liberentur, verè ſubiiciantur.

Circa annum Domini 672. hæc ſunt conſtituta. Quo tempore corrupti vehementer hominũ mores erant. Iudaïſmus chriſtianiſmo permiſcebatur, nefarióque coniugio orthodoxi copulabantur hæreticis. Immodeſti in cultu corporis palàm ſpectabantur homines, comicas, tragicas, ſatyricaſque perſonas crebrò referentes, viri in veſte muliebri, & contra mulieres in virili Capillis calamiſtratis ſeſe oſtentabant, conuiuiiſque indulgebant etiam intra ſacras ædes, nulla earum vel perpauca veneratione. Antiquo more & à ritu chriſtianorum alieno, myſteria cum tripudiis celebrabant. Fortunam, fatum, & eiuſmodi nugas magni facientes, diuinis quibuſdam, vti credebant, vtebantur canticis. Rogos in neomeniis gentili more accendebant, ad quos ineptè indecoréque ſaltarent. In torcularibus, cum vinum exprimerent, Bacchi nomen inuocabant. Calendas Martij menſis, & Brumalia, cum ſaltatoriis corporum motibus celebrabant turmatim collecti. Mulieres pharmacis abortionem plerumque efficiebant. Erant præterea vani quidam vates & impoſtores, nubiũque garruli & curioſi inſpectores, & alij circumferentes

amuleta,quæ vulgo imperito venditarent.Denique & inter eos,qui Chriſtiano nomine cenſebantur,hoc peccabant etiam, in ſacroſancta Euchariſtia , quod mortuis eam adminiſtrarẽt. Et viri ſacris initiati, clerici & monachi quos exercitatores appellãt patres in conciliis, cum mulieribus lauabantur,nullo pudore abſterriti.Multáque & infanda alia perpetrabant,quæ ſtudioſis relinquo excutienda , videndáque apud ſcriptores hiſtoricos , adeò vt mirum non fuerit Energumenos extitiſſe,in tanta tamque flagitioſa ſcelerum & peccatorum varietate: quæ & noſtro ſæculo, infinita etiam vitiorum turba, velut repullulauit, quaſi picea illa apud Theophraſtum ὄρους τοῦ πιτυώδους. vt mirum inquam non ſit,ſi etiam noſtra ætate , vt ſic dicam, ἀναβλαστάνουσι οἱ ἐνεργούμενοι.

Decimus canon,aut pro decimo, hoc Innocentij Papę.3.Decretum.cap.6.

De Energumenis baptizatis , vt eis à presbytero vel cæteris clericis , abſente epiſcopo,manus imponatur.

Proximè ad ſenſum Innocentij Papæ accedit canon triceſimus nonus Elibertini concilij,qui ſic habet.

Gentiles,ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi manus imponi,ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manum imponi & fieri chriſtianos. Alias manus impoſitio,eſt confirmatio quæ confertur ab Epiſcopis: & quam Euſebius Papa ſacramentum magnæ venerationis eſſe ait, in epiſtola tertia ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ: quæ ab aliis, quàm ſummis ſacedotibus

perfici non poſſit, nec legatur nec ſciatur id ſacramentum ab aliis peractum eſſe, tempore Apoſtolorum, quàm ab ipſis Apoſtolis. Et florẽtino concilio, vbi de ſacramentis nouæ legis agitur, per manus impoſitionẽ dicuntur, Apoſtoli ſpiritum ſanctum dediſſe. Cornelius quoque Papa cæterique per Italiam ſacerdotes, refutantes Aphricanorum decretum, dixerunt antiquam eſſe regulam, vt hæretici ſola manus impoſitione purgarẽtur. Sed hæc ſatis ſint hoc loco: quæ ideo ſanè huc appoſui, quod huius operis titulum explicent, & nos veterum appellationem ſecutos eſſe teſtentur, quę non ſolum in græcorum eccleſiis, vnde orta & ducta eſt, ſed in Latinorum etiam, eadem omnino fuit & manſit. 1583. 10. calend. Mart.

Geruas. Tornanenſis.

INDEX RERVM ET SENTENtiarum in hoc volumine contentarum.

A.

AGni Dei virtus. 39.a
Aleatores dæmonum ſocij. 32.b
Albam ſacerdotis morſu corripit dæmon. 49.a
Aqua benedictæ vis. 12.a 15.a 18.a 27.a.b 73.b 76.b 79.a 36.a 47.a 49.a 54.b 11.b.

B.

BEelzebul dæmon. 57.a 75.a

C.

CAuſa quare diabolus intrauit in corpus Energumeni. 29.b 41.b 78.b 81.b 91.b 94.a 101.a
Crux odioſa dæmonibus. 48.a 51.a
Crucis veræ vis. 85.a
Cruces factæ & vis earum. 11.a 24.b 25.a 56.a
Confeßionis vis & fructus. 92.a

D.

DÆmon concionatorem irridet. 62.b homicidij autor & ſuaſor. 11.b 9.b 61.b. ſub formis variis apparet. 6.b 7.a.b prædicit futura. 20.a 55.a 101.a metuit loca ſacra 80.a fatetur ſe impium. 80.b eſt mendax. 81.b cur parcat ſceleratis. 81.b fatetur ſe ingreſſum eſſe in Energumenum propter gloriã Dei & ceſſationem hæreſeon. 29.b 41.b
Dæmonum ſedecim millia & octingentos exiiſſe ex India. 94.b
Dæmon fatetur purgatorium 10.b ſuaſor temulentiæ, incendij 13.a homicidij 61.b doctor hæreticorũ. 78.a fatetur ſe lauduni diſcruciatũ. 70.a 75.a confeßioni & Euchariſtiæ ſuſcipiendæ obſtat. 36.a

E.

EVangelij lectio torquet dæmones. 19.a 34.b
Euchar. st. ſuſceptio arma valida Chriſtiani. 92.a
Eucharistia vocata album à dæmone. 13.a 57.b 92.a
in Eucharistia puellus viſus. 90.a
Eucharistiæ vis & virtus. 28.b 41.b 43.a 49.b 57.b 67.a 72.b 77.a

H.

HAereticorum doctor Satan. 78.a
contra Hæreticos & ſchiſmaticos. 29.b
Hugonothi nō credunt. 81.a duo redeunt ad fidē. 92.a
Hymni Veni creator mira vis. 75.b 77.b 91.a

I.

IEiunium. 53.b 54.a

L.

LItaniæ recitatæ virtus. 21.a. 39.a

M.

MAriæ virginis cingulum efficax. 56.b
S. Michaël. 82.a
Miſſæ ſacrificium. 14.b
Miſſæ præfatione audita dæmon irritatur. 49.a

O.

ORantibus dæmon inuidet. 49.b

P.

PAnis benedictus. 66.b

R.

REliquiæ ſanctorum efficaces. 56.a 21.a
Ruta expiata. 24.b

S.

SAnctorum reliquiæ efficaces. 21.a 56.a
Stola collo Energumeni circumpoſita. 93.b

V.

VEni creator hymnus. 75.b 77.b 91.a

ERRATA.

Fol.3.lin.vltim.lege rore, non rere.fol. 8.b lin. 10. lege, immittebat.f.9. l.1.lege Auſa eſt mater.f.11. l. 27. lege loca. f.13.l.13.lege farem.ibid.l.16.aperuit.f.19.b l. 28. recruduit. f.35.l.14. lancearium.ibid.l.penultim. Ieſu.f.44.b l. 7. ſerius.f. 49.l.14 propius.f.50.b l.25.Ieſu.f.63.b lin.vltim. Atque equidem.f.67.b l.26.reſticulis.ibid.l.28.ſacrificum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

GIU. 1970